

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

Apparatus

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)



# APPARATUS

C A P. I.

## DE OCCASIONE HUIUS OPERIS E D E N D I.

**J**ohannis MARBACHII, clarissimi quondam nominis in puriore Ecclesia Theologi, à se sumptu non exiguo collecta, àque filii, Erasmo atq; Philippo, continuatâ serie in Theologicae professionis dignitate ARGENTORATI sibi succedentibus, insigniter aucta Bibliotheca, ingentem quoque variarum epistolarum & schedarum, à celeberrimis ejus aetatis Theologis ad Marbachios scriptarum, acervum complectebatur. Is unâ cum librorum thesauro post Johannis mortem ad Erasmus, & Erasmo rebus humanis exempto ad Philippum, post obitum Philippi ad Filium Theologum, Ulricum, cumque hic moriens filiam unicam, (eamque adhuc superstitem) reliquisset, ad generum, Georgium Obrechtum, Jctum, denique ab Obrechtto ad me, cujus mihi filia in matrimonium collocata est, ante hos sedecim annos devolutus pervenit. Cum in earum lectione frequenter tempus fallerem, deque epistolarum argumentis cum Theologis, ex Academica peregrinatione mihi amicis, nonnunquam conferrem, non defuerunt, qui ad edendum hoc Theologici studii *κοινόν* & sacras quasi tot de Ecclesia nostra benè meritorum virorum reliquias publicae lucis templo consecrandas, aliquod etiam hinc Ecclesiae nostrae commodum augurantes, me cohortarentur.

Eorum verò voluntati obsecuturo non exiguae difficultates, sive in pervolutandis tam diversi generis epistolis, inque quendam ordinem componendis, sive in describendis aliorum operâ, ob rude

2  
 & obsoletum scriptionis genus lectu perquam difficilibus literis, aliquandiu obstiterunt. Tumultus quoque bellici, hæc imprimis Rheni nostri litora, per aliquot annos infestantes, bonisq; studiis vel afferentes exilium vel silentium indicentes, Epistolicum istum optimorum Doctorum thesaurum, in loca rapacitati militis non ita obnoxia deportari iusserunt. Dum itaque ab instituto sapius avocor & coeptum aliquoties telum abrumpo, labitur tempus & in præsentem demum annum editio ejus differtur.

Quum in Academia & Ecclesia Argentoratensi Epistolarum illarum notitia & usus, ad eos cum primis, qui Marbachii sive in professoris Theologi munere, sive Præsidis Conventus Ecclesiastici officio successores dati fuerunt, emanasset, illarum publicationem eorum plurimi & exoptarunt & Ecclesiæ non inutilem fore judicaverunt. Inter eos gravissimus Theologus, pietatis præcipue & ingenui candoris famâ in Ecclesia nostra celebris, meusque, dum viveret, Doctor, Jo. SCHMIDIUS, in Præfatione, quam sermonibus Ecclesiasticis de Divina pacis conditione, ad Prætorem & Consules Reip. Colmariensis, præfixit, ubi Basiliensi cuiquam censori Sulzeri atque Coccii orthodoxiam ex epistolis nostris, è Bibliotheca Marbachiana ipsi communicatis, demonstrat, ita loquitur: **Und kan ich dem disputanten einen guten Fasciculum seiner / Sulzeri seeligen / schreiben / so ich iezo vor Augen und bey Händen habe / darlegen / welche an die berühmte Lutherische Theologos und Doctores, Johannem, Erasmus, Philippum Marbachios und Johannem Pappum, alle in Gott seelige / abgegangen / in denen Er sie niemahln anderst / als symmistas, amicos, fratres, colendos, charissimos, &c. nennet / auch vielerley / so ich noch zur Zeit in geheimb halte / entdeckt.** Fuerint tum forte causæ, cur in vulgus edi epistolas illas nondum judicaverint consultum; hodie nihil omnino esse, quod à proposito nos isto avellere aut revocare possit, debeatque, peculiari, quod infra meditatur, capite ostendemus.

Quod si diutius harum epistolarum evulgatio protracta fuisset, fieri

fieri non potuisset, quin, factâ subinde amicis communicatione, earum plurimâ distractâ, à toto corpore fuissent, non levi historiâ, quam præbent, dispendio, avulsâ. Video enim duas ad Joannem Marbachium à *B. Schmidio*, in laudatâ Præfatione, Huldrici Cocci, Basileensis, allegari epistolas, unam 24. Febr. A. D. M D LXVI. alteram festo Philippi & Jacobi, A. C. M D LXIX. scriptas, quæ, quia in Bibliothecam Marbachianam, ex qua venerant, non relatæ sunt, in opere nostro non comparent. Idem fatum alias benè multas subiisse, qui epistolas nostras attentius perlegerit, & vel epistolarum connexionem vel factam in iisdem subinde aliarum epistolarum allegationem expenderit, nullo negotio deprehendet. A Marbachii etiam ipsis non paucas epistolas, imprimis ad communem Ecclesiæ Argentinensis, aut Ministrorum ejus, negotium spectantes, publicæ Reip. Bibliothecæ insertas atque ab hoc penu separatas fuisse, dubium mihi non est. Illa enim, ut ab amico edocor, possidet;

*Volumen MSS. Epistolarum, in causa Flacianâ de peccato Originis: epistolasq; Marbachii ad Flacium.*

*Descriptionem Colloquii inter D. Jac. Andreæ & Flacium Illyricum, Argentina, 10. Aug. M D LXXI. in ædibus D. Marbachii habiti: quo die fulmine tangebatur templum D. Thomæ.*

*Flacii Epistolas duas ad D. Marbachium, Superintendentem & reliquos Pastores.*

*Acta cum Matthia Flaccio Illyrico, in controversia de peccato originis, post collationem in die Laurentii habitam, 24. Septembris, M D LXXI. Itemq; epistolas Illyrici ad Pastores, cum annotationibus Jo. Marbachii.*

*Epistolam Jacobi Andreæ ad Joannem Marbachium, 28. Octobr. M D LXXI.*

*Judicium Udalrici Cocci, Rectoris Academiae Basl. de controversia Flacii, ad Joannem Marbachium.*

*Narrationem, quid Pappus nomine Pastorum cum Flacio egerit.*

*Epistolarum Theologicarum, in causâ maximè Sacramentaria, Tomos, duos. Primum ab A. D. M D X X I V. usq; ad Annum M D X X X X V I I. Alterum ab hoc anno usq; ad Annum M D L X I V.*

*Epistolam Marbachii & Flinneri ad Ludovicum Palatinum, de Heshusii libro.*

*Marbachii & Pastorum Scriptum de controversia ab Hieronymo Zanchio motâ.*

*Jo. Marbachii Bedencken wider die Sectiver.*

Et alia id genus, quibus locupletari Epistolicum hoc opus, si ad manus illa fuissent, non sine Ecclesiæ utilitate potuisset. Quod verò damnium posthac, si id è re visum fuerit, iuvante DEO poterit refarciri.

Antiquissimum inde à Christianæ Ecclesiæ incunabulis morem esse, ut negotia Ecclesiastica, missitandis hinc inde epistolis, agerentur, indubitato constat. Quæ epistolæ, quo studio & diligentia post Doctorum ex hac vitâ discessum undiquaque conquisitæ, quâ religione conservatæ & in publicos Ecclesiæ usus vel editis eorum operibus adjunctæ vel separatim publicatæ fuerint, ex omni Ecclesiæ historiâ potest edoceri. Christum equidem ipsum Epistolam ad Abgarum, Edessæ Toparcham, huncque ad illum scripsisse, quam utramque ex ipsis Edessenis Archivis bonâ, ut ait, fide depromptam & ex Syriacâ linguâ translata[m] *Eusebius*, I. H. E. 13. exhibet, multorum fuit in veteri Ecclesiâ persuasio. Sed eam jam Gelasius Papa inter apocrypha retulit. Nec obstante tamen hujus Pontificis auctoritate Baronium eandem laudasse non immeritò miratur *Is. Casaubonus*, Ex. XIII. ad ann. XXXI. Num. LVIII. cum Pontificiis singula verba Paparum longè posteriorum, puta alicujus Hildebrandi vel Bonifacii IIX. aut Alexandri VI. totidem sint oracula Divina. *Spondanus*, de ista epistola prorsus tacet. Præstat enim viri magni iudicio frigidum hoc silentium, quam inepta Gretseri assertio, Epistolam hanc Scripturis longè postponendam esse. Nam si genuina est, cur

cum

cum aliis Scripturis non erit pari veneratione recipienda? Cæterum & Lucas epistolam ad Theophilum scripsit, quâ Pauli peregrinationes & Apostolorum reliquorum acta enarravit: & Paulus, Petrus, Jacobus atque Johannes non tantum ad nationes, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, Bithyniæ, Judææ, itemque ad integras Ecclesias, Romanam, Corinthiacam, Ephesinam, Galatensem, Colossensem, Philippsensem, Thessalonicensem, sed & ad singulares Ecclesiarum Doctores, utpote ad Timotheum, ad Titum, ad Gajum, ad Episcopum Ephesinum, Smyrnensem, Pergamenum, Thyatirensensem, Sardensem, Philadelphensem & Laodicenum, immò ad privatas etiam personas, Philemonem & Electam, epistolas exararunt, quæ omnes singulæque Scripturæ canonice insertæ magnâ veneratione hodieque in Ecclesiis leguntur. De Barnaba Hieron. in Catal. *Unam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem epistolam composuit, quæ inter apocryphas Scripturas legitur.* De Senecæ ad Paulum & Pauli ad Senecam idem Hieronymus: sed cujus illæ sint auctoritatis, nemini obscurum est.

Post Apostolorum excessum primus, cujus epistolæ antiquis maximopere celebrantur, Clemens fuit, Romanorum Episcopus. Erat is Pauli discipulus & Petri doctrinâ, pietate ac martyrii gloriâ successor. Latuerunt illæ per multas annorum centurias in tenebris oblivionis, tanquam in penetralibus ac visceribus terræ, votis virorum sacram antiquitatem flagrantissimis expetitæ. Donec propitio Divinæ providentiæ fato hoc ipso seculo, Cyrillus, qui Constantinopoli Patriarchatum obtinebat, vir pietate & eruditione insignis, ex Ægypto, cum sedem Alexandrinam relinqueret, magnâ librorum suppellectile secum advecta, codicem omnium vetustissimum & longè pretiosissimum, (in quo veteris & novi federis libri, literis grandioribus, manu Theclæ, nobilis femine Ægyptiæ, circa primi Concilii Niceni tempora, bellissimè exarati erant) Serenissimo Angliæ Regi, Carolo, per Thomam Roë, Equitem auratum & ad Turcarum Imperatorem Regis Britanni Legatum, cum ex Oriente domum rediret,

rediret, dono transmissit, ad cuius calcem in membranis laceris hæc ipsa Clementis ad Corinthios Epistola, cum fragmento secundæ, adjecta erat. Eam cum observationibus quibusdam primus edidit, vir longè doctissimus, *Fr. Junius*, & postea, in Academia Julia, de antiquis ejusmodi scriptis, (quæ gloria Scholæ illi quasi propria est) præclarissimè meritâ, singulari diligentia recudi curavit *Joach. Jo. Maderus*, cui viro haud parum Ecclesiastica antiquitas debet; cumq; non nemo epistolæ *ἡρωϊκῆς*, ab *Hug. Grotio*, *Gerh. Jo. Vossio*, *Dav. Blondello*, *Herm. Conringio*, at quantis viris! aliisque nostræ quoque Ecclesiæ Theologis agnitam, magna certè acerbitate impugnasset, genuinum ei decus & auctoritatem asseruit atque vindicavit. Qui & simili industria Barnabæ Apostoli Epistolam, ut fertur, Catholicam, itemque Polycarpi ad Philippenses Epistolam, unâ cum ejusdem martyrio, illam primum ab *Hugone Menardo*, & *Isaaco Vossio*, hanc à *Jacobo Armachano* luci expositam, notulis quibusdam illustratas in publicum edidit.

Primos quoque Pontifices, seu Romanæ Ecclesiæ præfules, res Ecclesiæ scriptis epistolis promovisse, dubium nullum est. Illæ apud antiquos passim in veneratione erant & in Ecclesiis legabantur. Quamquam postea, cum persecutionum violentia illæ ex Christianorum manibus excuterentur, sequiorum temporum doctores, pia quidem fraude sed non æqua prudentia usi, alias in earum locum, & eas quidem multum vel à veritate historica primorum temporum, vel à saniorum dogmatum *ἡρωϊκῆς* devias, substituerunt, Ecclesiisque obtruserunt. Quales sunt Clementis Papæ epistolæ V. Anacleti III. Evaristi II. Alexandri III. Sixti I. epistolæ II. Telesphori I. Hygini II. Pii IV. Aniceti I. Soteris II. Euletherii I. Victoris IV. Zephyrini II. Callisti II. Urbani I. Pontiani II. Anteri I. Fabiani III. Cornelii V. Lucii I. Stephani II. Sixti Secundi II. Dionysii II. Felicis Primi III. Eutyichiani II. Caji I. Marcellini II. Marcelli II. Eusebii III. Melchiadis I. Synodi Nicenæ ad Sylvestrum Papam I. Sylvestri Rescriptum, Ægyptiorum ad Marcum Papam epistola, Marci responsum, Julii II. Orientalium

ad

Julium epistola, Liberii III. Athanasii & Ægyptiorum Episcoporum ad Liberium de oppressionibus Arianorum epistola, Ægyptiorum ad Felicem II. Pap. Felicis II. Damasi ad Hieron. & Hujus ad illum, Africani Concilii epistola, Damasi ad Afros, itemque ad Chorepiscopos, & ad Episcopos Italiae, Aurelii ad Damasum & Damasi responsum, Hieronymi ad Damasum & Damasi responsum, Siricii I. Innocentii II. Anastasii II. Sixti Tertii I. Leonis Primi II. Symmachi I. Johannis Primi I. Felicis Quarti II. Bonifacii Secundi I. Joannis Secundi I. Agapeti I. Sylverii II. Amatoris I. Pelagii Primi I. Joannis Tertii I. Benedicti Primi I. Pelagii Secundi IV. Gregorii Magni Privilegium Medardi, Felicis Siciliae Episcopi ad S. Gregorium, Gregorii I. DEUS dedit I. & alia. Eas cum notis criticis edidit & censura confixit *Dav. Blondellus*, illustri opere Pseudo-Isidori, cujus se plurimis multi, idem argumentum tractantes, exornarunt. Sunt tamen alia primorum Pontificum Epistola, à *robis* crimine aliena, veterem simplicitatem pietatemque spirantes, quae & in Conciliorum Tomis extant & separatim edita non sine voluptate & utilitate leguntur.

Ex eo tempore adeò probatum Ecclesiae Doctoribus Epistolicum istud aedificandi Ecclesiam institutum fuit, ut nemo esset, quin epistolas scriberet, nemo, quin conservandis pro virili epistolis in Ecclesiae usum incumberet. Nam è primo seculo Clementis, ut supra diximus, epistola extat. Extant & Polycarpi & Barnabae supra memoratae, judicio *Herm. Conringii*, genuinae, & Dionysii Areopagita, & Martialis Lemovicensis, & Ignatii, quas haud ita pridem *Isaacus Vossius* & edidit & pro genuinis magno conatu venditavit. Quamquam verò non adeò ad liquidum res deducta sit, quin dubitationum scrupuli supersint, epistolas tamen ipsas & scriptas ab auctoribus & in Ecclesia antiquitus lectas fuisse, cum eas passim Irenaeus, Origenes, Eusebius, Athanasius, Hieronymus, Chrysostomus, Theodoretus, Damascenus, Photius, aliique allegent, omni controversia caret. Extat & epistola S. Mariae Virginis ad Ignatium & hujus ad illam. Itemque duae aliae



8  
 alia ejusdem Mariæ epistola, una ad Florentinos, altera ad Mes-  
 sanenses, quas nonnulli Mariæ in Romana ecclesia amassii vehe-  
 menter exosculantur. Sed illæ à plerisque post Hieronymum ec-  
 clesiæ, etiam Romanæ, Doctoribus, merito, ut spuria, rejiciun-  
 tur & damnantur.

In secundo Seculo Justini Parænesis & Apologiæ pro Christia-  
 nis ad S. P. Q. R. itemque ad Imperatorem Antoninum Pium, epi-  
 stolarum modum formamque habent. Eadem partim gaudebant,  
 partim adhuc hodie gaudent Melitonis Libellus ad Antoninum;  
 Athenagoræ ad M. Aurelium Antoninum & L. Aurelium Com-  
 modum pro Christianis in legatione exhibita oratio. Apollinarii  
 liber ad Imperatorem, Musani liber ad fratres. Irenæus, dicente Eu-  
 sebio V. H. E. 18. *varias epistolas scripsit contra eos, qui Romæ ince-  
 rum Ecclesiæ ritum corrumpabant. Unam scripsit ad Blastum de  
 schismate, aliam ad Florinum de Monarchiâ.* De Dionysio Corin-  
 thiorum Episcopo idem Eusebius, lib. IV. c. XXII. *Divinam suam  
 industriam non modo subditis, sed & exteris abunde communicavit, se-  
 que universis utilissimum per epistolas eas præstitit, quas catholicas Ec-  
 clesiis exaravit.* Equibus epistolas ad Lacedæmonios, ad Athe-  
 nienses, ad Nicomedienses, ad Ecclesias Amastrim incolentes, ad  
 Gnosios, ad Romanos, ad Chrysochoram sororem, scriptas recen-  
 set, earumque argumenta in specimen singularis & eruditionis &  
 pietatis collaudat. Sed illarum nulla hodie superest. De Piny-  
 to Cretensi, Hieron. in Cat. *scripsit ad Dionys. Cor. Ep. valde ele-  
 gantem epistolam, in qua docet, non semper lacte nutriendos populos,  
 sed solido vesci debere cibo, ut in spiritualem proficiant senectutem.*

Seculo Tertio inter Tertulliani opera epistolare institutum imi-  
 tantur Liber de Præscriptionibus adversus hæreticos, ad Fratres  
 scriptus, Liber ad Martyres, Libri ad Uxorem, Liber de Persecu-  
 tione ad Fabrum, Fratrem, Liber ad Scapulam, exhortatio ad ca-  
 stitatem, ad fratrem, Liber de cibis Judaicis, ad plebem in evan-  
 gelio perstantem, si quidem is sit Tertulliani, de quo plurimi du-  
 bitant. Gregorij Thaumaturgi epistola Canonica extat, ait euse-  
 bius,

b<sup>9</sup>  
 bius, & alia hujus feruntur epistola, ait Hieron. Inter Origenis opera, quæ Epiphano teste, ascendebant ad sena millia librorum, quis dubitet, infinitas epistolas fuisse? Cornelius Papa, referente in Catalogo Hieronymo, aliquot epistolas scripsit, ex quibus extat epistola ad Fabium sive Flavianum, Antichenum Episcopum, sed non integra, ap. *Eusebium*, lib. VI. H. E. XXXV. Itemq; alia ad Lucinū & duæ aliæ inter epistolas Cypriani. Cypriani ipsius quatuor adhuc hodie habentur epistolarum libri, varia doctrina referti. De Dionysio Alexandrino *Hieronymus* de viris illustribus memorat, quod libros & epistolas multas scripserit, ex quibus adhuc extat epistola una, satis brevis, inter canones ecclesiasticos Græcorum, cum annotationibus Balsamonis. De Beryllo *Eusebius*, VI. H. E. 20. *Una cum epistolis & commentariis varias lucubrationes reliquit. Consimiliter & Hippolytus.* Signarat autem caput istud hoc introitu: *viguerunt illis temporibus plures disertis & Ecclesiastici viri, quorum epistolas, quas invicem aliis alij scripserunt, hæcenus asservatis, facile quis invenire poterit, quæ etiam ad hæc usque tempora nostra asservantur in Bibliothecâ Hierosolymitanâ, ab Alexandro, qui tum eam parocciam administrabat, constructâ.* De Serapione Antiocheno VI. H. E. XI. *asservantur ejus de doctrina studio monumenta, utpote epistola ad Dominum quendam & quadam ad alios, auctoris sui in christo & vitæ congruentes, ait Hieron.* De Alexandro Hierosolymorum episcopo, c. X. *asservantur & ejus epistola contra Antinoitas.* De Theophilo Cæsariensi Hieronymus: *adversum eos, qui cum Judæis pascha faciebant, cum cateris Episcopis Synodicam, valde utilem, composuit epistolam.* De Polycrate Ephesiorum episcopo: *scripsit adversus Victorem epistolam Synodicam.* De Ambrosio Diacono: *vir nobilis, non inelegantis ingenii vir fuit, sicut ejus ad Origenem epistola indicio sunt.* De Tryphone: *nonnullæ ejus ad Origenem extant epistola.* De Julio Africano: *hujus est Epistola ad Origenem super questione Susanna.* De Malchione: *sed & alia grandis epistola ex personâ Synodi ab ea scripta ad Dyonysium & Maximum Romana & Alexandrina Eccle-*

b  
 sic

*sia Episcopos.* De Luciano Antiocheno: *Feruntur ejus de fide libelli & breves ad nonnullos epistola.* De Lactantio: *Habemus ejus ad Probum epistolarum libros quatuor. Ad Severum epistolarum libros duos. Ad Demetrianum auditorem suum libros duos.*

Ex quarto seculo hos idem notat Hieronymus. Eustathium, genere Pamphylium, Siditem, primum Beroeae Syriae, deinde Antiochiaepiscopum, de quo: *extant ejus volumina de animâ & infinita Epistola, quas enumerare longum est.* Athanasium, de quo: *Feruntur ejus in omni usque epistola.* Antonium Monachum, de quo: *misit Ægyptiacè ad diversa monasteria Apostolici sensus sermonisq; Epistolarum libros septem, qua in Græcam linguam translatae sunt, quarum precipua est ad Arsenoitas.* Serapionem, <sup>Quæstus,</sup> Ægypti urbis Episcopum, de quo: *edidit ad diversos utiles epistolas.* Hilarium Pietaviensem, de quo: *Sunt ejus nonnullæ ad diversos epistola.* Lucium, Arianae partis episcopum, de quo: *extant ejus solennes de pascha epistola.* Athanasii hodieq; supersunt ad Epicetum, ad Liberium, ad Antiochenes, ad omnes ubique orthodoxos, ad Serapionem, ad Jovinianum, ad Dracontium, ad Episcopos Africanos, & ad alios epistola. Tribuntur ei & ad Marcum Papam & ad Felicem Papam epistola, sed supposititiæ, ut Gerhardus in Patrologia ostendit. Superest & Luciferi Calaritani epistola ad Florentium. Inter Hilarii opera & epistola ad Apram Filiam, aliaque ad Augustinum comparet. Sed ab Erasmo rejiciuntur. Paciani Barchinonensis tres leguntur hodie epistola, & Cyrilli Hierosolymitani una ad Constantium de Cruce, itemque alia ad Augustinum de miraculis Hieronymi: sed hæ duæ <sup>videlicet</sup> manifestis argumentis convincuntur. Basilii Cæsariensis operum Tomus IV. Epistolas ad Gregorium Theologum & hujus ad illum, & alias quasdam ad alios, complectitur, varii argumenti. Gregorii quoque opera epistolis, non his tantum, quas ad Basilium scripsit, sed aliis etiam, ad Clidonium aliosque abundant. Damasi Rom. Episcopi quædam habentur epistola, inter epistolas Hieronymi & quædam apud Theodoretum fragmenta. Epiphaniï Unica superest ad Johannem, Episcopum Hierosolymitanum, epistola,

Epistola, quam Hieronymus latinitate donavit, cui ad finem aliquid additum ab Iconoclastis, ait *Bellarminus*. In Gregorio Nysseno epistola de nomine Christiani, aliaque ad Flavianum comparet. In Theophilo Alexandrino epistolæ paschales, quas Hieronymus latinis fecit. Ruffini epistolæ sparsim inter Hieronymi epistolas & alias separatim conspiciuntur. Chrysofomi quoque operum quartū Tomum epistolæ ornant. Eminent verò hoc seculo epistolares libri D. Hieronymi Stridonensis, *Erasmii* iudicio, qui illas & castigavit & scholiis illustravit, variâ & ex omnilinguarum, disciplinarum ac literarum reconditâ suppellectili constructa. Quamquam magno numero pauca accefferint, quæ Hieronymo sunt suppositæ, ab Hieronymi quippe eruditione atque sanctitate longè aliena.

Seculi quinti agmen ducit Augustinus, quidam inter patres eruditos verè Princeps. Cujus secundus Tomus, (ut opera ejus à Collectoribus digesta sunt) meris superbit epistolis, quanquam quædam admista sint, quæ primo statim gustu deprehenduntur Augustini non esse, quas proinde *Erasmus* censurâ notavit. Post hunc & aliorum Ecclesiæ Doctorū laudantur epistolæ, utpote Synesii, Ptolemaidis Episcopi, Paulini Nolani, Severi Sulpitii, quarum Gennadius meminit, Cyrilli Alexandrini ad diversos & diversorū ad Cyrillum, Theodoretum Cyrensis ad Leonem Papam & ad Sixtum Presbyterum (nam cæteræ, quæ ei attribuuntur, dubiæ fidei sunt:) Procli, Episcopi Constantinopolitani, cujus extat epistola valde celebris ad Armenos, Sidonii Apollinaris, cujus est liber epistolarum ad diversos, Isidori Pelusiota, Petri Chrysologi, cujus superest epistola ad Eutychetem Hæresiarcham, Leonis Magni, Nili Constantinopolitani, cujus epistolæ in septima Synodo citantur, Simeonis Stilitæ, Prosperi Aquitanici ad Augustinum, Gelasii Papæ; quæ omnes, paucis exceptis, ad nostram ætatem pervenerunt. Plurimorum verò, qui eadem ætate scripserunt, temporum iniquitate periisse, dubitari non potest.

Fuit itaq; prima ab Apostolis Ecclesia, imitatione ipsorum Apostolorum, per epistolas à Doctoribus quasi gubernata & edificata. Nec

ta. Nec hoc institutum in adultiore Ecclesia cessavit, quamquam  
 eousque commentarium nostrum non extendemus. Renatâ no-  
 vâ Ecclesiæ superiore seculo luce, epistolari commercio &, ut ita  
 loquar, contestatione plus adversariis, quam integris prolixisque  
 scriptis, damni datum esse, magisque crevisse nostrarum partium  
 conatus, experientia edocuit. In magnis Reformatoris nostri ope-  
 ribus innumera ubique epistolarum farrago cernitur, quarum ad-  
 huchodie, quæcunque undecunque corradi possunt, quasi tanti  
 viri *dominus regis*, enixo studio & anxia sollicitudine conquiruntur.  
 Eadem contentione usa est Ecclesia in colligendis asservandisque  
 Consiliis & Epistolis Theologicis, Des. Erasmi Roterodami, Huld.  
 Zvvinglii, Philippi Melanthonis, Jo. Calvinii, Petri Martyris, Hier.  
 Zanchii, Johannis Schvvebelii, Davidis Chytræi, Theodori Bezae,  
 & aliorum. Nec singularium tantum Doctorum post eorundem  
 mortem, sed & plurimorum epistolæ, vel enucleandis controver-  
 siis, vel suppediandis in casibus dubiis consiliis inservientes, publi-  
 cæ luci datæ sunt. Nam jam anno superioris seculi LXXXIV. *Theo-*  
*dorus Bibliander* epistolas doctorum virorum, ad Anabaptismi &  
 Eucharisticum negotium & alia religionis capita pertinentes, typis  
 impressas publico Ecclesiæ usui donavit. Ad eundem scopum col-  
 lineant, quotquot colligendis Doctorum sententiis circa conscient-  
 iæ, ut vocant, casus ex publicis privatisque Theologorum episto-  
 lis operam impenderunt, quos enumerare longum esset. Vidi in  
 Bibliotheca Gerhardina, è cujus regione, studiis in Academia Je-  
 nensi, A. MDCLXIII. operam navans, à pietissimæ memoriæ vi-  
 ro, deque me optimè merito, Jo. ERN. GERHARDO, musæum con-  
 duxeram, plurimos, eosque benè spissos variarum epistolarum To-  
 mos, quæ ex omnibus orbis partibus ad immortalis nominis Theo-  
 logum scriptæ, vel solæ integræ instructissimæque bibliothecæ vi-  
 cem præstant, magnique thesauri instar lectissimorum librorum  
 apparatus exornant. Nec minori cura aut religione id genus præ-  
 ciosarum epistolarum in aliorum quoque Theologorum Biblio-  
 thecis recondi, publico, ut cuique videbitur, usui suo tempore  
 exponendum, nemo est, qui vel dubitet, vel ignoret.

Ego

Ego certè, mecumque alii, me longè prudentiores, è re esse ecclesiæ judicarunt, ut istæ, Bibliothecæ hæctenus Marbachianæ insertæ, epistolæ in publicum ederentur. Nec enim æquum erat, ut unius bibliothecæ angustiis clauderetur, quod Christiano orbi poterat prodesse.

Gentilibus ea infedit literarum veneratio, ut disciplinarum omnium origines Diis auctoribus consecrandas censerent, ut promovendæ honestæ literaturæ curam summis ac florentissimis regibus & principibus dignam ducerent, ut doctorum piorumque virorum scripta, quo pluribus usui esse possent, in diversas transfundi linguas curarent, ut graviorem accidere studiis jacturam non posse judicarent, quam si quid ex id genus opibus intercidisset. Inde sibi laudem, inde æterni nominis gloriam obvenire arbitrati, si bibliothecam optimis optimorum excellentiumque virorum monumentis instructam vel possiderent vel posteritati traderent. Illam tam liberali homine dignam voluntatem ut testarentur, virorum doctorum & vigiliis suis de mortalibus universis benè meritorum imagines, statuis ac picturis expressas, ne eorundem memoria temporum nihil non obliterantium injuria intermoreretur, in porticibus ac bibliothecis ponebant, eorum symbola, sententias graves, apophthegmata, marmori atque æri incisa, ut eos, qua liceret, ab interitu vindicarent, omnium oculis & auribus ingerebant, libros, orationes, epistolas ab ipsis scriptas, immenso sæpe redemptas precio, aureis, aut certè cedrinis capsulis inclusas, piaculari religione in templis aut curiis ponebant; *partim ut rei tam sacræ, tamque divinæ, custodia, ut loquitur Erasmus, non aliis quam ipsis Numinibus concrederetur, partim nequid sitis aut caries illa monumenta vitiaret, quæ sola Principum gloriam à situ carieque queunt asserere; & impunè intermorerentur, quæ præstant omnibus immortalitatem.* Illa ethnicorum tam honesta tam laudabili cura pudori sit Christianos superari. Quid enim religioni nostræ convenientius est, quam meminisse doctorum, per quos verbi Divini intemeratus ad nos profluxit thesau-

rus? Quid pietati verè Christianæ magis congruit, quam intueri mores docentium, eorumque vitam imitari? Nec verò felicius vel doceri à demortuis, vel meliores reddi eorum exemplo possumus, quam si gentilium imitati diligentiam, dicta factaq; ipsorum, literarum penicillis expressa, non tam altissimis terræ latebris recondamus, quam exponamus in solis lucem & universi orbis usuram, ut nec incendiis, nec bellorum procellis, quibus omnia sacra prophanaque misceri solent, intereant, sed posteris certè supersint. Quod si sapienter factum veteres existimarunt, si defunctorum cadavera, ne computrescerent, quæ tamen servari publicæ rei nihil interest, unguentis ac aromatibus oblinerent, cur parem curam non adhibeamus animorum reliquiis? *Multò justius*, ita rectè divinus Erasmus, *ea cura in excellentium virorum libros transfertur, in quibus orbi supersunt etiam defuncti, & ita supersunt, ut & pluribus & efficacius loquantur mortui quam vivi: confabulantur, docent, adhortantur, deterrent, consulunt, erigunt, consolantur, sic ut nulli nec fidelius, nec paratius. Deniq; tum nobis verissimè vivunt, posteaquam sibi vivere desierunt.* Sit sanè levis ethnico-rum authorum jactura, quæ tantum efficit, ut minus eruditi simus, aut minus eloquentes, non ut minus pii: cæterum ex tot Christianis verèque sanctis autoribus, quos nobis Ecclesia dedit, rarâ quadam eruditione suspiciendos, vitæque sanctimonia claros, quidquam non servari nostro beneficio, crimen sit, nullis, quantumvis maximis, suppliciis eluendum.

In Romana ecclesia, ut primum à verbi Divini simplicitate recessum est & nil nisi miracula & *phantasia*, oculos oblectantes, adorari cœpta sunt, virorum de ecclesia benè meritorum reliquiæ, capita, brachia, pedes, sanguis, vestes, pili, ungues & tantum non stercore atque excrementa exquisita diligentia undecunque corrasa & magna religione in locis publicis asservata sunt. Illud institutum ab optima certè sanctissimaque intentione originem habet. Primi Christiani martyrum pietatem & invictam constantiam non immeritò magni aestimabant. Quicquid itaq; post mor-

mortem ipsorum reliqui erat, in amoris & reverentiæ signum sedulo custodiebant, nec tantum templa nominibus ipsorum dedicabant, sed & reliquias ipsorum, ex locis vel non satis notis vel nimium remotis sublatas, cum honore in iisdem reponebant. Ista illorum veneratio omni reprehensione carebat. Succedente autem veræ pietati stolidi superstitione, viles ista creaturæ numinum instar adoratæ, neque admodum ullam sacram destitui reliquias posse existimatum est. Et ne ullis posthac excitandis templis sacramenta hæc desint, multiplicari Divino miraculo eas creditum est. Quæ verò multiplicatio, quibus artibus, quibus imposturis à Pontificibus Romanis, illas merces venales exponere non erubescerent, pro lactando credulo vulgo facta sit, emptores sæpe ossibus alicujus latronis onustos domum remittentibus, ne ipsis deesset, quod colerent, in tanta Evangelii luce nemini amplius obscurum est. Nec mirari amplius convenit, quod hujus vel illius sancti caput aut manus, aut aliud membrum in diversis reperitur & ostendatur locis. Et tamen istas, qualescunque sunt, reliquias majori in precio, quam olim gentiles sua numina, habent. Istas inquirunt, in locis augustissimis deponunt, auro argentoque includunt, in genua coram ipsis procidunt, cum timore & tremore osculantur, Divinitatem & omnipotentiam quandam iis attribuunt, verbo, in Deos transformant. Quod si isti calceos sanctorum & sudariola, mucco forsan & fimo sordentia, osculis basiisque excipiunt, nos eorundem libros, sanctissimas & vivas divorum reliquias, neglectos jacere patiamur? Tuniculam illi aut indusculum martyrum argento circumdant, inque thecis pretiosis sollicitè custodiunt: nos ingeniorum viva monumenta, in quibus id, quod illorum fuit optimum, nobis adhuc spirat, tincis aut blattis impunè arrodenda relinquamus?

Pamphilum, Presbyterum, Eusebii Cæsariensis Episcopi necessarium, tanto bibliothecæ divinæ amore flagrasse *Hieronymus* in Catalogo scribit, ut maximam partem Origenis voluminum sua manu descripserit. Sed & semet in duodecim prophetas viginti quinque *ignotiorum* Origenis volumina, manu Pamphili exarata, reperisse;



rille; *que tanto, inquit, amplector amore, & seruo gaudio, ut Crassi opes habere me credam. Si enim letitia est, unam epistolam habere martyris, quanto magis tot millia versuum, per que mihi videtur sui sanguinis signasse vestigia?* Ego pariter: *si letitia Christiano pioque homine digna est, unam possidere, inque publicos usus conservare unius Ecclesiæ Doctoris, non minus vitæ sanctitate quam puritate doctrinæ illustris, epistolam, memoriam ejus nobis subinderefricantem, quanto magis tot millia versuum, per quos tam multi & egregii viri, Divini, quo polluerunt, ingenii, incredibilis, quo in Ecclesiam flagrabant, affectus, incomparabilis, qua à DEO exornati fuerunt, eruditionis, intaminatæ, qua in mundo lucebant, sanctitatis, nonnulli etiam sanguinis, quem pro veritate promptissimo animo fuderunt, tam luculenta videntur signasse vestigia?*

## CAP. II.

De

## VARIO EPISTOLARUM THEOLOGICARUM GENERE.

**E**pistola est sermo absentis ad absentem. A Libanio definitur *ἰμιλία ἐγγρημιον ἄπορις αὐτῶς ἀποστα γενεῖν καὶ χρεῖων σκοποῦ ἐκπληξία. ἰσὲν δὲ τῆς ἐκ αὐτῆς ἀπορις αὐτῶς ἀποστα;* quod ad Curionem Cicero pro ingenii sui moribus felicissimè expressit: *unum istud & certissimum epistolarum genus, cujus causa res ipsa inventa est, ut certiores faceremus absentes, si quid esset, quod eos scire aut nostrâ aut ipsorum interesset.*

*Quidam tamen vocabulum differentiam nobis epistolæ ab alio quovis scripti genere eleganter insinuat. Oratio enim ad integram concionem publicè recitatur. Liber ad informandos omnes dirigitur. Sola Epistola amici est ad amicum colloquium, seu universim conversatio quædam absentis cum absente. Nam & Reges atque Principes epistolas ad ministros, subditosque, & Paren-*

Parentes ad filios, variorum mandatorum exempla continentes, & privati, nec amici tantum, sed ignoti quoque, de suis ac Reip. negotiis, ad suos aliosque, frequentissimè scribunt, ut magna pars vitæ humanæ epistolis regatur. Quoties itaque conceptus suos alter alteri scripto eundem alloquens manifestat, epistolam scribere mittere dicitur. Epistola præstat, ut, qui locorum sunt intervallo disjuncti, inter se tamen colloquantur, eademque ferè absentes, quæ si coram essent, consequantur. Ut commendent amicos, in viam aberrantes reducant, ex rerum secundarum narratione vario absentes gaudii sensu perfundant, sinistrâ pressos fortunâ erigant, aliaque, quæ literis credi committique solent, vel brevi verborum circuitu, vel longâ sermonis ambage efficiant. Unde quod *Augustinus* alicubi sic loquitur, quasi brevitatis aut prolixitas tribuat adimarve nomen Epistolæ verius, quam orationis genus, aut argumenti ratio, id de epistolis tantum familiaribus, in re seriâ non occupatis, sine dubio exaudiendum est, ad quas collatæ epistolæ longiores, argumentum quodpiam ex intimis suis fundamentis & causarum visceribus tractantes, libri videntur. Nam alioqui rectè *Erasmus*, libro de conscribendis Epistolis scribit: *quis mihi acceptâ censoriâ virgulâ Solonis leges dictabit, clamabitque delendam esse epistolam, quæ non intra duodecim versiculos constitit; hanc enim epistolari modo præfixam esse metam. Obliteremus igitur hoc censore plerasque Platonis, Ciceronis, Plinij, Senecæ, Divi Hieronymi epistolas, & cetera in inguudâ pudoris & contemptis istorum limitibus in justum usque volumen porrectas. Quod si objectum varium & amplum objectum erit, tu nihilominus me cohibebis & circulum istum tuum magicum egredi vetabis?*

Sunt autem in universum epistolæ vel illaboratæ atque tumultuariâ operâ in chartam effusæ, vel accurato studio conceptæ & tersè pariter atque ingeniosè ad leges epistolares scriptæ. In hoc genere præcipuè apud antiquos M. T. Ciceronis epistolæ eminent, materiarum familiarium & officiorum privatæ vitæ, sed & summorum reip. negotiorum imagines atque exempla, chara-

APPARAT. CAP. II.

8  
 Aere orationis nitido & eleganti, curâ & meditatione exulto,  
 quale benevolentiam scriptori apud lectores eximiam conciliare  
 aptum est, continentes. Quas C. Plinii Junioris proximè inse-  
 quantur, argutis sententiis & insignibus allusionum flosculis ubi-  
 que refertæ, de quibus nonnemo, ad Ciceronianas illas confe-  
 rens: *Cicero, inquit, dulcis, candidus, copiosus, Plinius brevis, flo-  
 ridus, succulentus. Ille ex ubertate Romanâ latius evagatur, hic ex  
 brevitate Laconicâ concludit astrictius. Illi nihil addi, huic nihil  
 demi potest. Ille verbis uberior, hic sententiâ densior. Illi plus fa-  
 cundia, huic plus nitoris. In illo plus natura, in hoc plus cura. Il-  
 lum illaborata, hunc meditata condecorant.* Nec sapientiæ laude in  
 illa vetustate Symmachi epistolæ, nec summæ eruditionis, cum  
 acumine sententiarum arctissimè stipatarum Senecæ sunt defrau-  
 dandæ, quæ præterea sanctissimæ virtutis studium & cultum Nu-  
 minis ardentem, supra quam à pagano homine sperari poterat,  
 lectori jucundissimè instillant, atque eo nomine juventuti enixè  
 sunt commendandæ. Quamquam verò sequentia secula à lin-  
 guæ latinæ puritate haud parum recesserint, nec epistolæ eo tem-  
 pore scriptæ ad hanc perfectionis dignitatem adscendant, renatis  
 tamen superiore ætate literis eam prensare laudem plurimi non  
 infelici conatu sunt aggressi. Et primi quidem quasi glaciem fre-  
 gisse existimandi sunt, Petrus Bembus, Jacobus Sadoletus, Phi-  
 lippus Melanthon, Erasmus Roterodamus, Guilielmus Budæus:  
 de quibus non pigrabor *Davidis Chytræi*, (cujus & ipsius non in-  
 elegans extat epistolarum opus) incorruptum adscribere judi-  
 cium. *Petri Bembi, ait, epistolæ, Leonis X. Pontificis nomine scri-  
 ptæ, maximè sapientibus probantur, in humili genere dicendi, quod  
 prudenter, propriissimè, simplicissimè, sine ullo ornatu affectato, rem  
 propositam explicat.* MELANTHONIANÆ sapientissimis &  
 gravissimis sententiis & singulari orationis perspicuitate, elegantia ac  
 suavitate ornata, ac ut oratio animi character est, multarum virtu-  
 tum, eximia pietatis, beneficentiæ, humanitatis, prudentiæ, comi-  
 tatis, ac imprimis leniorum affectuum, quos in nominant, vestigiis ex-  
 pressis

pressis trita. In medio genere floridiore, jucundâ ubertate & copiâ & collocationis concinna suavitate excellunt JACOBI SADOLETI Epistolarum libri XVII. lectu dignissimi; & ERASMI ROTERODAMI libri XXVIII. ex quibus præter eloquentiam & sententiarum ac verborum copiam uberem, de plerisque veterum patrum Ecclesiasticorum & recentiorum doctorum literis celeberrimis scriptis, judicia & censuras accuratas, & historiam superioris ætatis Ecclesiasticam & politicam studiosi haurient. Grandis verò illius & sublimis generis exemplum sunt BUDÆI epistolæ, quas commentariis suis illustravit Tossanus. Sed post hos reforescentis eruditionis antesignanos exactam veterum scribendi facundiam & æque ævum alii, quamquam impari gradu, feliciter sunt imitati, nonnulli palmam antiquis propemodum dubiam reddiderunt. Calvinii epistolæ, ut cætera ejus viri opera, magno certè nitore scriptæ sunt. Jo. Lud. Vivis, Julii Casaris & Justi Josephi Scaligerorum, Sebastiani Castalionis, Theodori Bezae, Aldi Manutii, Joannis Sturmii, Francisci Bonamici, Melchioris Junii, Jani Doussæ, Dominici Baudii, Jo. Caselii, Hugonis Grotii, Justi Lipsii, Ericii Puteani, Danielis Heinsii, Matthiæ Berneggeri, Augusti Buchneri, Casparis Barlæi, Marci Zuerii Boxhornii, Petri Gassendi, Jacobi Thomasi & aliorum, non in omnes tantum honestissimarum voluptatum sensus, sed & in admirationem justissimam legentes conjiciunt. Ad eorum rerum, de quibus scribunt, scientia & doctrina, atque cura recte, perspicue & non inquinatè loquendi, omnem paginam implent. Harum argumenta, consilia, membrorum ordo & genus sermonis in scribendo quem non delectant, harum imitandi diligentiam qui non proficit, hujus vel naturam monstruosam esse, vel negligentiam turpissimam oportet.

Sunt tamen omnis ævi exemplo epistolæ, ab accurato cultu prorsus alienæ, extemporaneâ calami festinatione effusæ potius quam exaratae, quæ curam, non dico, non norunt, sed respuunt, hoc est, non recipiunt & accedentem inferrique cupientem excludunt, à rerum, quas comprehendunt, in omnes vitæ hum-

næ se longè latèque partes proferente utilitate magis, quam stili ornatu & sermonis acumine commendandæ. Nec enim semper otium est, arrodendis unguibus, properat tabellio & scriptionis tamen necessitatem præsens negotium vel materia nobis imponit. Non autem cujusvis est, quantumlibet mediocres etiam epistolas rectè & aptè componendi facultate haud destituatur, sine præviâ qualicunque meditatione & aliquo temporis usu, ornatè scitèque scribere. Nonnulli, variarum rerum exactâ notitiâ pollentes, latinæ linguæ nitido probatoque usu carent, quos, cum vernacula lingua rectius scriberent, & tamen vel ex inveterato usu, vel ad eum, qui linguæ illius expertus est, latinè scribere veluti coguntur, illatinè loqui mirum non est. In his epistolis res cum cura scriptæ, non scribendi habitus est respiciendus. Id ex Theologorum cum primis ordine plurimis accidere, qui sacris Literis & Ecclesiasticis scriptoribus legendis, quam Cicroni, Plinioque, à juventute magis adsuefiunt, non ibo inficias. In quarum censum & præsentis, quas edimus, optimorum sanctissimorumque Theologorum epistolas referimus, quas nemini ad stili imitationem, sed ad variarum, quibus abundant, historiarum, materiarumque scientiam inde hauriendam commendamus. *Non semper, ut rectè ille, exquisitè elaborata & polita & more urbano & aulico culta & compta delectant. Interdum etiam rura & agros invisere & simplicitatem antiqui sæculi, quamquam horridiorem & formas agrestium nativas, & hoc ipso ornatas, quod omni accersitè ornatu & cultu carent, intueri juvat.* Idem & vetustissimis Ecclesiæ doctoribus evenisse, quorum tamen epistolæ nobis in pretio sunt, suo loco uberius docebimus.

Veterum Theologorum Epistolas *Franc. Bernhardinus Ferrarius*, Ambrosiani Collegii Doctor, libro de antiquo Ecclesiasticarum epistolarum genere, in Formatas & non Formatas dispescit. Formatas seu Canonicas eas fuisse ostendit, quæ ex instituto Concilii Niceni certis adstrictæ legibus catholicos ab heterodoxis, quarundam Græcarum literarum ministerio, facili operâ discernebant,

Atque

Atque harum quatuor ait fuisse species: COMMUNICATORIAS, quibus muniti olim Christi fideles quicumque peregrinaturi, catholicos se ac catholicâ proinde communicatione dignos ubique terrarum probabant & quarum commercio universæ Christi Ecclesiæ unitas servabatur ac monstrari solebat. Nec enim, nisi tali epistola instructus, quisquam catholicorum communicatione vel in convictu vel in precibus vel in sacramento frui poterat. Quem morêm hodie in Pontificia Ecclesia, cum is olim & ad laicos extenderetur, cum primis monachi & clerici, religiosissimè observant. DIMISSORIAS, quæ ex Antistitis voluntate ac dimissione ostendebant, vel laicum vel clericum vel episcopum in alienam diœcesin transiturum; laicum quidem, ut ibi ordinaretur, clericum, ut vel ordinaretur, vel sacrificaret; quod utrumque sine concessione proprii episcopi facere non licebat; vel in alienâ Ecclesiæ catalogum inferretur; episcopum verò, ut aut longius peregrinari posset, aut ad Comitatum, id est, Regem, vel Imperatorem proficisci. COMMENDATITIAS, ab episcopis datas vel peregrinaturis quibuscunque, sive clericis sive laicis, ut hujusmodi epistolis, tanquam hospitalitatis tesseriis muniti, ubique terrarum ab æquè catholicis benignè exciperentur hospitio. Deinde clericis, ad eorum ordinationem comprobendam. Postremo ignotis hominibus, aut suspectis, ut eos vel notos redderent, vel injustè accusatos crimineve solutos, vel pœnis tandem liberatos ostenderent. Denique PACIFICATORIAS, à Græcis *ἀσπυρίαι* appellatas, quibus episcopi pauperibus iniquè oppressis, cæterisque quodammodo auxilio indigentibus, eaque de causa ad Ecclesiam confugientibus pacem adferebant ac conciliabant. Quæ singula ex vetustatis sacræ monumentis singulari industria Ferrarius demonstrat.

Quæ diversitas & in nostris epistolis ubique conspicitur. Vel enim apertâ professione catholicæ veritatis, vel notulis aliis, tanquam signis quibusdam ingenui in religione consensus, universalem cum orthodoxa Ecclesia communionem subinde produunt. Pleræque etiam in demonstrandâ, in eliciendâ, in corroborandâ,

salutari Ecclesiæ nostræ concordia, libro illo: qui Concordiæ Formula dicitur, ostensa occupantur. Quem in finem sollicitè caverunt, pleni illi divino spiritu Theologi, ne quisquam pro fratre, qui peregrinæ doctrinæ adhereret, agnosceretur: ut, qui de erroribus fuerant suspecti, ab omnibus devitarentur, ut consensionis vinculum illibatum ubiq; inviolatumque conservaretur. Variæ tum & exitiosæ veritati sectæ, Calvinianorum, Anabaptistarum, Osiandristarum, Suencfeldianorum Flacianorum, tanquam maculæ quædam in pulcro Ecclesiæ sole propullulaverant. Quanta contentione, quanta animorum confociatione, ne quisquam caligini illi involveretur, scriptis epistolis & terque quaterque repetitis, operam suam interposuerunt? Qui ex orthodoxa Ecclesia dimittebantur, illustri testimonio, alibi ipsis profuturo, exornabantur. Qui tanquam mercenarii lupique ejiciebantur, id consecuti sunt, ut apud orthodoxos nullibi reciperentur, latibula sua in alienæ à Christo doctrinæ grege quaritantes. In Commendatione bonorum ingeniorum quam fuerant liberales, in adjuvandis promovendisque bonæ frugis mentibus quam prompti, quam flagrantés! Ea in pauperes studiosos beneficentia admirabilis equidem eo tempore fuit, cujus nec umbram quidem hodie consecramur, frigidit tam bonorum parentum posteris. Ea verò ut omnibus pateret, nec unam ex magno commendationum numero epistolam à cæteris libuit refecare, quamquam ex plerisque steriliores, quam ut edi deberent, sint appariturse. Sed nec pacificarum desunt exempla. Nam pro Piscatore, à veritatis tramite deflectente apud Marbachium intercedit D. Jacob. Andrea, quousque lucrificandi virum, nec Jacobi judicio indoctum, spes fuerat. Ut nunc aliarum, quæ in operis conspectu legentibus se ultrò ingerent, silentio præteream.

Quod si & cæteras ad antiquitatis exemplum aut qualemcunq; imitationem exigere placet, deprehenduntur in hoc epistolarum corpore epistolæ *Tractoria*, quibus Ecclesiæ antistites ad publica de religione colloquia evocabantur. Postquam enim Tridentini Conci-

Conci-

Concilii, in octavum & decimum usque annum extracti, exemplo patuit, magnos illos amplosque Theologorum congressus & difficillimè convocari & difficillimè finiri, colloquia primariorum in Ecclesia Thologorum, (quæ & olim principem Consiliorum partem efficiebant) præsidente Rege aut Principe quodam in Conciliorum locum successerunt. Quæ tum quidem eò frequentiora fuerunt, quo ii, qui regnorum provinciarumque gubernationi admoti erant, majori, quam hodie, in religionem affectu & in promovendam DEI gloriam ardore flagrabant. Comparant epistola *Monitoria*, quibus se Ecclesiarum præfules ad invictam in fide constantiam & certamen adversus hostes veritatis spirituales animosè & suscipiendum & continuandum graviter sunt adhortati. *Consolatoria*, quibus compatientem in adversis animum testabantur & abstergebant fratribus lacrymas, quoties illæ vel ex obitu necessariorum, vel ex amissione valetudinis, vel ex exilio ob veritatem imperato & suscepto, vel ex honorum opumque jactura fuerant obortæ. *Petitoria*, quibus vel sibi vel aliis honestissima pietatis & amicitia officia efflagitabant. *Conciliatoria*, quibus aliorum pulsando fores consuetudinem vel literarum commercium ambiebant. *Panegyrica*, quibus in laudes aliorum effusi, summam eruditionem, singularem vitæ sanctitatem, magna in Ecclesiam merita, aliaque laude non minus digna prolixè prædicabant. *Eucharistica*, quibus pro impetratis beneficiis gratias agebant. *Gratulatoria*, quibus impensè se lætatos de alieni boni nuncio significabant, optabantque, ut id, quicquid est, dignitatis aut honoris sut beneficii, quod alteri collatum est, ei sit salutare & Reip. atque Ecclesie utilis. *Propemptica*, quibus aliò profecturis felicissimos itineris atque propositi successus apprecabantur. *Objurgatoria*, quibus vitam turpiter actam accusabant & exprobrabant. *Defensoria*, quibus famam suam injustè læsam vindicabant.

Quæ singula atque his similia & varietate sua lectorem oblectabunt & officiorum Christianorum quasi quandam ideam, tot præclarissimis exemplis ostensam, oculis subjicient & hominem non  
 profus



profus ignavum aut profanum ad laudatissimarum virtutum imitationem, ut in exemplis major quam in præceptis vis est, quovis calcari fortius incitabunt.

## CAP. III.

De

MARBACHIORUM VITA ET IN  
ECCLESIAM MERITIS.

Quo ingenio & ad comprehendendam omnem eruditionem indolis bonitate Joannem Marbachium exornaverit Divina providentia, vel inde palam est, quod ad omnium scientiarum atque doctrinarum ornamenta, immatura utens ætate, non ut alii, lento gradu ascenderit, sed festinanti pede properaverit. Nam decimo quinto ætatis anno Academiam adiit, octavo & decimo artium, ut vocant, Baccalaureus, decimo nono Philosophiæ magister, & quod insolens eâ in ætate decus est, tertio & vicefimo Theologiæ Doctor creatus, cum id temporis, quod inter Magisterium atque Doctoratum interjacebat, spatium, maximam partem in publico terere officio & animarum potius curâ, quam studiis tribuere necesse habuerit. Ex Academiarum à fece Romanâ reformatarum legibus, ut ex *Sim. Sulceri* epistolâ, infra Parte IV. n. LXXIX. recitanda, apparet, nemo poterat Doctoratus insignia requirere, nisi completo post assumptum magisterii gradum quinquennio. Requirebatur præterea in promovendo ætas minimum triginta annorum, ut major huic titulo dignitas auctoritasque constaret. Qua lege adedò rigide adstringi se ejus temporis Academia senserunt, ut nec in Basileensi nec in Tubingensi Academia Erasmus atque Philippus Marbachii, etsi publicis lectionibus eruditionis sibi famam haud vulgarem comparassent, ætatis dispensationem potuerint impetrare. Nec Rostochii in ea ætate aliter licentia ipsis collata est, nisi ut hoc gradu Doctoratui proximo contenti, post paucos demum annos, ut habet Epistola CXXIII.

Parte

Parte quarta Doctores crearentur. Quod itaque ea in ætate, neglectis severis legibus, summo isto honore condecoratus fuit Marbachius, id equidem publicum & illustre raræ virtutis & diligentia in ejus ætatis hominibus testimonium fuit.

Nec minorem viro in Ecclesia nostra existimationem conciliasse videtur, quod eo doctrinæ vitæque testimonio ornatus fuit à viro, quem tum universus adoraverat orbis, qui unus adversus tot hostium agmina in acie steterat, quique debellatis erroribus Ecclesiam restituerat pristino nitore, Martino LUTHERO, cujus aëdibus & convictu antea fuit usus & in intimiorem ejus amicitiam admittens. Quem enim ille, tam acer ingeniorum censor, isthoc honore dignum judicaverat, qui non ab aliis coleretur & magnifieret? Quare factum est, ut cum in Schola Lutheri intimis ejus doctrinis nutritus annos complures consumpsisset, enatis subinde novis controversiis, ad Marbachium, tanquam fidiissimum dictatorum Lutheranorum testem, undecunque recurreretur, ut ex eo sensum mentemque communis magistri Ecclesiæ requirerent.

Pollebat à natura singulari eloquentia, quam multo judicio & frequentibus exercitiis ita adauxerat, ut crebrescente de eo fama ad exornandos suggestus & gubernandas Ecclesias etiam in juvenili ætate passim vocaretur. Anno D. MDXLI. Diaconatum Jenensem in Thuringia, sub Pastore Christophoro Hoffmanno, per integrum annum dexterimè gessit. Excitus verò fama Pauli Fagii, qui tum Ysnensi Ecclesiæ præfectus fuerat, & patriæ amore illectus, Lindaviam primum, mox Ysnam, Hebræum istum auditurus, Majori anni MDXLII. concessit, vicesque Pastoris, ad Francofurtenses nundinas abeuntis, petenti loci magistratu, concionando, gregemque pascendo, Septembri mense, eo cum applausu sustinuit, ut die 3. Octobris nomine Senatus Consulares Bufflerus & Heysteinius, Urbisque Syudicus, Johannes Geigerus, multis verbis id agere conati fuerint, ut Marbachium in ministerio suo retinerent. Sed ille majoris eruditionis comparandæ gratiâ, d. 16. Octobr. VVittebergam profectus, promeruit, ut sequenti mox anno, habita sub

d

Præ-

Præsidio MARTINI LUTHERI, die 16. Februarii inaugurali disputatione, Doctor in solenni panegyri salutaretur. In hac festivitate occupato nuncius Ysnâ adfertur, in locum Pauli Fagii, Argentoratum vocati, communibus Ecclesiæ votis ipsum desiderari. Huc itaque, DEO benè juvante, profectus, die 30. Martii ab Heysteinio, Consule, nomine Reip. legitimè vocatus, ministerio Fagii, priusquam ille discederet, Ecclesiæ solenniter commendatus & consuetis ceremoniis ordinatus fuit. Anno M D XL V. die 3. Febr. sermonem ad populum de potestate clavium habuit, quem Marbachio Lindaviam ad nuptias sororis abeunte, Diaconus ipsius, Georgius Dennelerus habitis interea quatuor aliis ad plebem declamatiunculis, eâ animi vehementia refutavit, ut & Senatum in partes suas pertraheret, & hic redeunti, ne quidquam de argumento clavium, absolutionis & excommunicationis, ad populum amplius diceret, aut sententiam suam, à qua Senatus alienus esset, præ fractè defenderet, præceperit. Marbachius sumpto deliberandi spatio post interjectos paucos dies, persuasus, se non posse cedere à veritate propositæ doctrinæ, dimissionem ab officio petiit, rogatus verò à Senatu, ut aliquot saltem mensium operam Ecclesiæ non denegaret, eoque Ysnâ substitit, donec ab Argentoratensibus, ut Fagio in Ecclesia Nicolaitana assisteret, vocatus eò concederet; paulò post primariam ejus Ecclesiæ curam adeptus. Ea in functione ita omnium oculos & mentes in se convertit, ut gravissimis amplissimisque muneribus sustinendis ubique dignus judicaretur. Nam & Argentorati Casp. Hedioni, summo Ecclesiæ antistiti admirabili omnium suffragatione successor datus & alias passim ad gubernationem Ecclesiarum in maximis quibusvis provinciis expetitus fuit. De quo & epistola partis primæ tertiæ & partis tertiæ septuagesimæ tertiæ testari poterit. Quamquam & corporis imbecillitas & mutationis difficultas & causæ aliæ eundem permoverint, ut in statione ista ad finem usque vitæ constanter permaneret.

Ita tam dextra, tam cordata officiorum administratione magnam

gnum ubique nomini suo decus & apud Ecclesias auctoritatem sibi  
 adquisivit Marbachius. Quare & ad confessus de rebus Ecclesie  
 augustissimos, sive ut de fidei dogmatibus cum adversariis disputa-  
 ret, sive ut consiliis suis laboranti Ecclesie cum aliis succurreret,  
 subinde missus est. In Diario Marbachiano MSS. legitur: *Anno*  
*MDXLIX. die 24. Julii, D. Jo. Marbachius à Senatu Argentora-*  
*tensi Lipsiam ad Theologos missus est, in re Ecclesiam atque religionem*  
*concernente. Reversus feliciter Argentoratum, die 21. Augusti.* Id  
 factum sine dubio est ad consulendum Electoris Theologos in cau-  
 sa religionis Interimistica, post alios aliquot conventus ultimò Li-  
 psie congregatos, quam ut reciperent Argentinenes, severissimis  
 minis ab Imperatore, Germanie tum victore & copiis militaribus  
 instructissimo, urgebantur; quamquam hujus profectiois non  
 meminerit *Sleidanus*, diligens alioquin harum rerum scriptor. An-  
 no MDLII. à Senatu Argentoratensi, una cum Christophoro Soe-  
 lio, Ecclesie ad S. Aureliam Diacono, ad Concilium Tridentinum  
 missus, ut religionis nostrae in publico congressu rationem redde-  
 ret, quamquam connitente apud Casaris Oratores acerrimo co-  
 natu Reip. Syndico, Joanne Sleidano, impetrare tamen à Crescen-  
 tio, Concilii nomine Pontificis Præsidente, non potuit, ut audiretur,  
 donec dilapsis metu armorum Mauritianorum Patribus, & ipse  
 cum collega discederet, rem diligentissimè narrante *Sleidano*. An-  
 no DLVI. ab Ottone Henrico Palatino rogatus, permittente Sena-  
 tu Argentineni, in Palatinatum profectus, Ecclesias ad formam  
 Augustanae Confessionis, felicissimè reformavit. Eam operam  
 & Anno MDLXXVI. Ludovico Electori ad purgandas à Calvinia-  
 nis erroribus, sub Friderici El. imperio sese in Ecclesias Palatinas in-  
 sinuantibus, sanctissimis laboribus præstitit. Anno MDLVII. ad  
 Colloquium VVormatiense in Vangionibus, inter Pontificios &  
 Lutheranos institutum, profectus, cum ex variis causis actio lentè  
 procederet, ipse Argentinam rediit, VVormatiam repetiturus,  
 quamprimum de serua collatione & partium consensu spes esset,  
 ceu & ex epistola partis secundae quinquagesima quarta apparet.

Sed abruptum est colloquium, nec ille reversus est. Id in causa esse existimo, cur inter colloquii collocutores in monumentis publicis Marbachii nomen frequentet omittatur. Cum de ineunda constituendaque certa concordiae formula inter Electores Principesque Lutheranos deliberaretur, Marbachius quoque, Lutheri quondam discipulus, & tum ob ingravescentem aetatem, magnaque in Ecclesiam merita, Theologorum quidam princeps, feriis votis fuit requisitus. Sed senectutis imbecillitates, sustinendo longo itineri impares, à tam gravibus consiliis, quæ tamen scriptis epistolis pro virili contulit, eundem excluderunt.

In exornanda salutari juventutis informationi Theologiae professione sedulus fuit & indefessus. Hinc matura ei & profunda controversiarum fidei & historiarum Ecclesiae notitia, ut censuram scriptorum suorum præclarissimi quivis Ecclesiae Theologi, Sulcerus, Chemnitius, Jacobus Andreae, aliique passim ejus judicio non erubuerint submittere. Divini ingenii monumenta, in his etiam literis subinde laudata, complura in publicum lucis conspectum edidit, è quibus potiora sunt ista:

**Von Mirakeln und Wunderzeichen; wie man sie auf und nach Gottes Wort für wahr und falsch erkennen solle? Sampt gründlicher Widerlegung des Wunderzeichen/so vor einem Jahr Canisius, wie er vermeint/ an einem besessenen Jungfräulein gewürcket/ wie solches Martin Eissengrein in Buch/ dessen Titul: Unser L. Frau zu alten Detting / sehr prächtig beschrieben. In quo vanitatem Isengreinicam suavissimè simul ac doctissimè depictam dedit. Argentorati. 1571.**

**De Cœnâ Domini. Volumina duo. In quibus præcipuè Antiquorum Ecclesiae Doctorum sententiam de isthoc mysterio magnâ industriâ collegit & in ordinem digessit.**

**Vera ex verbo DEI tractatio interioris & exterioris hominis. Germanicè.**

**Concio de Officio Episcopi & quis ad hoc munus debeat assumi?**

De

*De Ascensione Christi, Conciones tres, 7. 14. & 21. Oct. habita, Argentorati A. 1565. De quibus pro more suo criminatur Rod. Hospinianus, Part. alterâ Historiæ Sacramentariæ, p. 564. In quibus, inquit, realem transfusionem, (ita nempe calumniatur eam communicationem, qua Divina natura in Christo humanæ naturæ majestatem suam, quam ipsa retinuit, non transfudit, communem possessione & usurpatione fecit) proprietatum omnium Divinæ naturæ in humanam Christi probare conatur: & de ascensione Christi in cælos prodigiosa ac veteri puriori Ecclesiæ incognita docet. Nempe quia novitatibus Calvinianis calculum addere & Servatorem nostrum, regnum suum ingressum, uni loco, tanquam carceri, includere detrectavit.*

*De Majestate Christi. Argentor. 1565.*

*Christiana & vera probatio personalis unionis duarum naturarum in Christo. Argent. 1567. In hoc magno volumine, inquit Hospinianus, ad hunc annum, probare conatur duodecim rationibus & patrum 40. testimoniis, Christi corpus & humanitatem veram non in cælo, tanquam in certo loco contineri, sed propter unionem personalem una cum Divinitate ubique diffusam & presentem esse. In fine adversariæ partis argumenta 13. contra hanc suam sententiam confutare ac diluere nititur. Inter alia p. 174. sic scribit: Quemadmodum de Christi Divinâ naturâ non est absurdum, sed ipsissima veritas, quod in cælo, terrâ & inferno sit, omniaque sustentet & gubernet, tam diabolos, quam bonos angelos, &c. sic quoque verum est, quum humana natura cum Divinâ sit indivisa & inseparabilis persona, quod etiam personaliter in cælo & terrâ sit. Absurda esse fingit, quæ absurda non sunt. Quid enim absurdi est, carnem DEO, in cælo & terra existenti, *ad iasaro*, junctam, in cælo pariter & in terra existere? Cum nisi caro, in cælum elata, in terra DEO coexistat, in terra personaliter ei non sit unita, adeoque nec in terra una cum Deo*

persona. Addit verò Hospinianus: *Pag. 197 scribit Marbachius: Humana natura unione personali cum Divinitate in eum honoris & dignitatis gradum evecta est, ut deinceps quoque sit DEUS.* Id absurdum non est, si sensu Marbachiano, quod ex Christiana caritate facere Hospinianus debebat, intelligatur. Nempe humana natura per unionis gratiam id honoris & dignitatis habet, ut sit DEUS, possessione & usurpatione majestatis Divinæ. Eo prorsus modo, quo *θεοποίησις*, seu Deificatam veteres dixere. In eum enim honoris gradum nisi evecta fuerit humana natura, nihil aliud ab unione, quam sancti quilibet alii, acceperit, necesse est: cum sit *uncta oleo letitiæ præ consortibus suis.* Psalm. XLV, 8. Et *spiritum acceperit non ad mensuram, ut coeteri.* Joh. III, 34.

**Widerlegung der Trost-Schrift** Tossani. *Tubingæ. 1579.* Vidit & in hoc libro absurditates *Rod. Hospinianus.* Quare istas duas loquendi rationes censura configit. *Pag. 104. & 105.* inquit, inter alia hæc scribit: *Nos Lutherani credimus, quod Christus, postquam humanitate suâ in cælum ascendit, & ad dextram patris sedit, non tantum cum pane & vino, sed etiam in inferno & unoquoque cantharo cerevisiario personaliter præsens sit, & sic cælum & terram, quæque in eis continentur, regat & sustentet.* Cum Lutherani professi fuissent, corpus Christi ex gratia unionis personalis ubique, perinde ut Divinitatem ipsam, præsens esse, cerevisiarii quidam gurguliones & aqualiculi, quasi inaudito absurdo hanc sententiam oneraturi, clamarunt: Ergo & in inferno! Ergo & in quibusvis cantharis cerevisiariis! Quod stolidæ primum p lebi, cui mens nulla, nullus sensus communis est, blasphemum esse in majestatem Christi videbatur. Sed verò id prudentibus æquè absurdum non est, ac cum Divinitas ipsa, quod doctorum & intelligentium nemo negat, in inferno, inque cantharis cerevisiariis esse docetur. Cum aliam corpori

pori Christi præsentiam non adscribamus, quam quæ Divinitatis est, quippe ab hac ei communicatam, nec à Divinitate tamen avulsam. Deinde pergit Hospinianus, *alibi in hoc ipso libro docet Marbachius: in illo cælo, in quod ascendit Christus, etiam diabolos esse.* Magnum certè absurdum! An itaq; in eo cælo secundum te, Hospiniane, non est Christus, in quo DEUS est? In eo verò cælo, in quo DEUS est, Diabolum esse, Hiobi Historia convincit. Nempe DEI cælum ubique est, cum nulli loco DEUS concludatur. In eo verò quod ubique est, aut diabolus est, aut prorsus non est; cum quidquid est, alicubi sit; juxta solennem philosophorum Christianorum doctrinam.

Unterricht von dem Abendmahl. Argent. 1558.

De Majestate carnis Christi. A. 1567.

Themata de Imagine DEI.

Disputationes de Judice controversiarum.

Itemque Disputationes de aliis argumentis aliæ.

Fuit Marbachius ingenio omninò miti atque moderato, ab insectationibus, rixis, contentionibus, turbis prorsus alieno. Ad certamina Ecclesiastica, nisi extrema urgente necessitate, nunquam, nec nisi invitus, processit. Eum à singulari civilitate atq; modestia è Reformatis *Henr. Pantaleon* in Prosopographia & *Melchior Adami* in vitis commendant. Ista tamen genii sui bonitate permoveri nunquam potuit, ut cum iis, qui deviantes à Divini verbi regula doctrinas sectabantur, collideret, id est, Calvinianos in Ecclesiam Scholamque Argentoratensem, cujus utriusque cura & ephoria ipsi concedita fuerat, irreperere pateretur. Quod magnam ei apud *Zwinglianos* invidiam & odium publicum attraxit. Docuerat tum Argentorati *Joannes Sturmius*, vir à solida eruditione & instituendi felicitate toto orbe celebris, ejus præterea auctoritatis, ut à plerisque per Germaniam eruditis, tanquam communis præceptor, coleretur. Is ex oriente Sacramentario bello, quamquam forte inra sese nulli religioni serio addictus, clam tamen

Zwingli-



Zvvinglianis favebat, eosque, ubicunque & quantumcunque poterat, (poterat autem per eos imprimis, qui in Senatu sectario hoc malo imbuti partibus ipsius strenuè ad stipulabantur, maximè) provehebat. Eam opportunitatem nacti Zvvingliani in scholam præcipuè subinde sese insinuabant. Nam in ea & *Jo. Calvinus* ipse, quamquam nondum adultis infauit illis discordiis, ab Anno MD. XXXVII. ad annum usq; MD XLII. publicè professus fuerat. Hoc enim tempore Geneva eiectus, quoddam quasi Argentorati egerat exilium, donec ad eandem scholam revocaretur. Post eundem *Petrus Martyr* cathedram scholasticam occupaverat, ab Anno MDXLII. ad annum usq; MD XLVII. quo in Angliam à Rege evocatus secesserat; iterumque Anglicanis Ecclesiis Missatico sacrificio persstrepentibus, regno exclusus, ab anno MDLIV. usque ad annum Christi MDLVI. quo Tigurinæ Ecclesiæ gubernacula suscepit. *Hieronymus* verò *Zanchius* in eadem Argentoratensium scholâ docuit per integrum decennium, ab anno MDLIII. usque ad annum MDLXIII. Cumque duo isti, Martyr atque *Zanchius*, felici fato solum vertissent, *Jo. Piscatori*, per biennium ab anno Domini MDLXI. usque ad annum MDLXIII. docendilocus patuit. Denique cum per emissarios suos turbare Ecclesiam *Sturmium* haud amplius posset, ipse jam capularis senex congregi cum *Pappo* & nescio quibus clanculariis artibus vel aperire viam Calvinianæ religioni, vel portam apertam conservare admirabili stili vehementia connitebatur. His tantis Ecclesiæ periculis magna animi dexteritate & indefessa vigilantia semper obviam ivit *Marbachius*, magnorum Theologorum literis, quæ & in opere nostro, sub annis antea indicatis, leguntur, quasi tibicine quodam, subinde suffultus. Videbantur nonnunquam adjuti quorundam è Senatu potentia Calviniani obtinere victoriam, sedemque religioni suæ fixam firmamque constituere: Sed *Marbachii* nunquam defatigata dextera, nunquam cessante industria, cum qua & prudentiam Christiano Theologo dignam & humanitatem, etiam inimicorum ferociam pervinentem, coniunxerat, Sectarii repressi & isthoc

& isthoc hominum genere illustris schola tandem profus liberata fuit. Quam laudem Argentinensis Ecclesia, post Divinæ virtutis gratiam, quæ in ministro suo efficax fuit, Marbachio æternum tribuet haud invita. Quas enim huic soli nebulas of- fundere Hospinianus annitur, illæ in Hutteri Concordia Con- corde jamdiu sunt dissipatæ. Subjicio carmen summi, dum vive- ret, Theologi, meique per octennium Doctoris, Jo. Conradi Dannbaueri, quo incisam æri Marbachii imaginem ante quatuor & viginti annos condecoravit.

*Hac est, qua nituit quondam MARBACHIUS, Icon.*

*Ad speculum similis corporis, haud animi.*

*Plus latuit. Nam quis referat dona enthea Suada?*

*Quis pingat dium pectoris omne sepchos?*

*Hic est, quem mitrâ facibusque ornavit & auro*

*Leucoreo quondam in monte sonorus olor.*

**HIC EST, ARGYROPE, CUI DEBES ZWINGLI AB ASTU  
INDEFORMATUM RELIGIONIS OPUS.**

Quæ Joannes Jacobus Boissardus in elegantissimo Iconum opere duobus versibus expresit :

*Argentina suo Marbacho talia debet,*

*Qualia Lutherò debet hic ipse suo.*

Ut magnum Marbachio animi robur: ita corporis statura me- diocris & quæ nonnihil ad macilentiam deflectebat, fuit, quam proluxa & eximie gravitatis indice barba exornaverat. Qui tum verè Germanus & veterum candore dignus mos fuit. Valetudi- nem ejus morbi subinde graviores, inprimis dolores podagrici, se- dentatio præcipuè hominum generi infesti, interturbabant, vi- tamque ei maturius spe atq: opinione suorum eripiebant. Quam tamen in Filiis atque Filiorum posteris eo diuturniorem consecu- tus est. Imaginem ejus sequens tabella repræsentat.

c

Meri-

Natus Lindau. 1521. 14. April.  
A. D. Mart. Luthero in Doct. promot. 1543.  
Obijt Argent. 17. Martij 1581.



Merita verò magni Argentoratensium Theologi, *D. Joannes Pappus*, qui ei in officio successor surrogatus est, pulcherrimo carmine post mortem ejus descripsit:

*Doctorem puræ fidei, magniq; Lutheri  
Discipulum, insignem religionē virum:  
Argentina diu fuit admirata docentem,  
Divino afflatum numine Marbachium.  
Nunc dolet extinctum mæsta, absentemque requirit,  
Sublatumq; videt carius esse bonum.  
Impiger ille DEI verbum cum laude fideque  
Edibus in sacris tradidit atq; scholis.  
Illius officio simul hic Ecclesia Christi  
Crevit & intactæ religionis amor.  
Obstitit his, Domini qui clam vineta revellunt,  
Quiq; DEUM violant & nova sacra movent.  
Pastoresq; gregi sacro multosq; bonosque,  
Instructos magnâ sedulitate dedit.  
Ergo qui periit, vivit: qui nomen in orbe,  
Vivit & in cælis gaudia viva capit.*

Reliquit duas Filias, honestissimè elocatas, duosque Filios, munerum honorumque, quin & famæ paternæ hæredes. Nam *Anna Margaretha* in matrimonium data fuit celeberrimo sui seculi Icto, *OBERTO GIPHANIO*, qui editis & emaculatis variis vetustatis auctoribus, & proprii ingenii scriptis æternam sibi meruit nominis famam. Fuit is primum Argentoratensis, deinde Altorfinæ Academiæ Professor, postremò Consilii Aulici Pragæ Assessor, ubi cum mutatâ religione ad Pontificios transiisset, *MARBACHIA*, invictæ fidei femina, ex animi mœrore paulò post diem obiit supremum. Non ignota hæc sunt ex *Jac. Aug. Thuani* Historiarum libro CXXXI. Ubi brevi hoc compendio vitam ejus complectitur: *Pragæ Obertus quoque Giphanius,*

*nius, Bura in Sicambriis natus, VI. Cal. Quint. septuagenario major, ultimum vitæ diem clausit. Is prima literarum rudimenta in Belgio suo, atque adeò Lovanii, cum imbibisset, industriam suam primum in Tito Lucretio exercuit, quem post Michaëlem Marullum Byzantium, qui tantum auctorem miserè interpolaverat, & secundum Dion. Lambinum nostratem, qui in eo laudabilem operam navavit, nobis meliorem dedit, dein totum se juris scientiæ ac philosophiæ studiis mancipavit, denique jus civile Argentinæ professus est, tanto cum plausu, ut inde magnis stipendiis invitatus in aulam Cæsaream migraverit, & qui in adolescentiâ astu Protestantium doctrinæ, tunc per Belgium invalescenti, nomen dederat, senex ad majorum sacra rediit & Consiliarij Cæsarei titulo ornatus, voce & scriptis rem literariam multum promovit.*

Nec minori eruditionis & civilis prudentiæ laude GEORGIUS OBRECHTUS claruit, veritatis insuper Evangelicæ indefessus ad mortem usque assertor. De quo inter eos, qui Epistolæ nostras scripserunt, sequenti capite uberius dicemus.

ERASMUS MARBACHIUS, ut corpore debiliore, nec à natis quibusdam defectibus atque impedimentis profusus libero fuit, quæ & causa erat, quod in cœlibatu ad finem usque vitæ vixerit: ita ingenio pollebat eo acutiore, cui à seculi hujus deliciis & voluptatibus exclusus, ferream quandam diligentiam & assiduitatem conjunxit. Ejus vitam *Melchior Junius*, Eloquentiæ in Academiâ Argentoratensi Professor, in Oratione Funebri descripsit, cujus nos eam partem, quæ ERASMI vitam attinet, quia illa in editis hactenus vitarum consignatoribus nondum comparet, subjiciemus.

*Melchioris Junij verba.*

Primus (ut nostis) è vivis qui fuit exemptus, Reverendus & Clarissimus Vir, D. ERASMUS MARBACHIUS, SS. Theologiæ Doctor, ejusdemque nostra in Academia Professor celeberrimus fuit. Hujus dignè laudes persequi quis potest? In more illud po-  
fitura

fitum institutoque Ægyptiorum fuisse legimus; ut si qui post supremum clausum diem laudarentur, ita laudarentur, ut nulla rerum aliarum facta mentione solâ religio ac pietas eorum commendaretur: & rectè sanè. Cùm non felicitatis modo in Republ. fundamentum, verum etiam virtutum actionumq; præclararum omnium hæc, & procreatrix, & gubernatrix sit. Sed neque illud interim negligendum esse arbitror, quod D. Gregorius quodam in loco scribit. *Nullam esse scientiam, si pietatis utilitatem non habeat: nec rursus utilem valde pietatem, si scientiæ discretione careat.* Habuimus ergo in illo viro Reverendo & Clarissimo, dum viveret, & piam scientiam, & scientem pietatem, non in triviis, quod ajunt, inventam, sed ex Spiritus Sancti gratia collectam, & ingenio naturæque bonitate partam, & studio conciliatam acri ac indefesso, & verò educatione solerti, prudentique acquisitam. Cui enim non summi illius, nec satis unquam laudati viri, D. JOANNIS MARBACHII, SS. quondam Theologiæ Doctoris, Professoris, Ecclesiarum hac in urbe præsidis (quo nostro hic vir Reverendus pater est natus) nota, cùm cæteris in rebus, tum, & suorum, & aliorum institutione, prudentia, diligentia, industria, fides? Agri foecundi cùm videntur, etiam si agricolarum non amplius labores conspiciantur; tamen ex ipsis fructibus benè suo esse cultores officio functos colligitur. Et vos, dum de hoc nostro demortuo viro Reverendo cogitatis; dum eorum memoria subit; qui paucos intra annos ex Ecclesia per mortem sunt avocati, dum in mentem veniunt alii, alibi hujus è disciplina, qui ad Ecclesiarum aut Scholarum abhibiti gubernacula fuerunt; dum ad illos oculos vestros convertitis, quos ab eodem educatos hac nunc in urbe Ecclesiæ atque Academiæ inservire scitis: de cultu prudenti, laborioso, fido minime dubitabitis: & ut multis aliis nominibus, ita hoc quoq; æterna eundem memoria, laude, celebratione dignum judicabitis. Hinc, ne ad SS. Theologiæ mysteria tractanda vir hic Reverendus *quod ajunt, —* atque imparatus accederet, & linguarum *—* cum voluit peritia institui, & antiquitatis imbui cognitione, &

differendi dicendique facultate informari, & erudiri in iis, quæ de naturæ sunt obscuritate, de moribus, de aliis, à Philosophis tradita, & scribendo, dicendo, disputando exerceri quotidie. Meminerat scilicet vir ille doctissimus, trium linguarum inæstimabili sudore sibi D. Hieronymum peritiam comparasse: *πειράγλωσσοι* dictum Epiphanium Cypri Episcopum fuisse: quod quinque linguis contra Origenem scripsisset: neque ullam sententiam alicujus rectè intelligere sermonis illius ignarum, quo sententiam ille suam explicat, nec rusticè fuisse locutos, aut scripsisse barbarè veteres illos Theologos, sed lumina ornamentaque suis in scriptis adhibuisse, esse sublimem Basilium: dulcem Chryostomum, Hieronymum vehementem, gravem Bernhardum, Ciceronianâ præditum facundiâ Lactantium, non elingues aut infantes alios extitisse. Sciebat idem non, (quod Apostolus requirit) *διδακτικόν, & ὀρθοποιεῖν* & *δυνατὸν ἐλέγχειν τὰς ἀντιλήψεις* quenquam sine differendi subtilitate fieri, sed clave, quod ajunt, ligna findere, securi seras aperire. Cogitabat non de Philosophia malè dictum ab Augustino esse: ea, quæ vera Philosophi attulerunt, ab iis tanquam injustis possessoribus nostrum vendicanda in usum esse: etiam de se hoc ipsum Sapientem sacris in literis affirmare; datam horum sibi scientiam esse, ut orbis terrarum cognitam dispositionem habeat, virtutes elementorum, vicissitudines rerum, anni cursus, animalium & herbarum naturas cognoscat. Et instituto huic ac consilio gravi & prudenti eventus felicissimè respondit, ita quidem, ut absoluto, hac in Academia, studiorum cursu, gradum illum & honorem literarium, qui in Philosophia summus est, Basileæ primum, summa cum laude consequeretur, postea in Academia, quæ à Rosis nomen habere dicitur, SS. Theologiæ Licentiatu salutaretur, Docturæ tandem insignia rursus Basileensi ab Academia, unâ cum Reverendo & Clarissimo Domino fratre, PHILIPPO, reportaret, eandem hîc publicè eximia sua cum laude, auditorum commodo fructuq; insigni profiteretur. Erat enim in viro illo excellens ingenium, doctrina magna, studium acre atque indefessum, mira in docendo dexte-

dexteritas, diligentia, assiduitas, ita quidem, ut de nulla re alia quàm ornanda Sparta sibi concessa, curam atque cogitationem susciperet, non valetudinis, qua incommoda infirmaque utebatur, rationem haberet, cibi potusque sæpè eum oblivio caperet, temperatissimè semper viveret. Et est hæc verè literatorum conditio, ut cum aliis virtutibus, tum continentia studeant, nec à voluptatibus vinci superarique sese patiantur, nec ventri, domino truculento ac sordido morem gerant, cibo esuriam magis concitent, quàm restinguant, studiorum gratia inediam protrahant, orando, abstinendo, sudando ea assequantur, atque intelligant, quæ difficilia, obscura, perplexa, dubia, ac interim præclara, utilia, necessaria, ideoque aliis tradenda, atque explicanda sunt. **Qui** Isidis olim initiari sacris volebant, illis decem dierum jejunium indicabatur. Et de Amphiarao vate hoc Historici referunt; iussisse eum Sacerdotes, qui responsa clara accipere, reddere syncerè vellent, integrum diem à cibo, à vino triduum abstinere. **Quantò** verò in nostro hoc viro Reverendo illud laudandum magis fuit, quòd, cum quantum humeris suis onus sustineret, piè religiosèque consideraret, sancta sanctè esse tractanda, haberet cognitum; illud quod quodam in loco Augustinus scribit, esse miram eloquiorum Domini profunditatem, ita quidem, ut horror sit intendere in eam; sed horror honoris, ac tremor amoris, precibus assiduis, meditationibus piis, studio continuo, hoc efficere conatus est, ut Sacra Scripturæ interpretatione pia, fidei conformi, docta, perspicua, exercitationibus quoque hanc ad rem accommodatis & aliis, non SS. Theologiæ solùm Studiosis, verùm etiam reliquis pietatis ac religionis veræ amantibus commodaret. Hic quid & quantum præstiterit, ejus in vetus testamentum scholæ docent, quæ plurimorum manibus teruntur, non Theologos tantùm, sed & alios erudiunt, dignæ omninò sunt, quæ propter reconditam pietatem, ac doctrinam, quam spirant, & quam olent lucernam, lucem aspiciant, ac cum exteris communicentur, longè verò ejusdem apud nos tristissimum desiderium relinquerent, nisi & aliorum summorum

rum



rum eadem in facultate virorum pietas singularis, insignis doctrina, benè de aliis merendi studium acre, labor indefessus, animus verè paternus solaretur: reficeret is, qui quasi, ut Poëta ait, Cursor vitæ traditam lampada integer accepit, Reverendus & Clarissimus ejusdem frater, D. PHILIPPUS, ut, quod Scamandro Homerus ad Simoëntem tribuit, id demortuo huic nostro, viro Reverendo, haud opinor incommodè ascribi possit:

φίλι κροσίοντι θίσι· ἀνίσι· ἐμφοσι· ἄπαι·

Haecenus Junius.

Sed nec omittendum est *Johannis Pappi*, doctissimi certè & *κρητικότητι* Theologi de ERASMO nostro judicium, præmissum ejus Commentario in Pentateuchum. *Erat is sanè*, inquit, *non ingenio tantum eccellente, disciplinarumque omnium, quæ in viro literato & docto, & Theologo, imprimis spectari solent, capace: sed industriâ etiam & diligentia admirabili ac propè singulari. Cumque aliis ingenium natura seu natura potius auctor DEUS dederit, aliis discendi ardorem & cupiditatem iniecerit: ita in hoc nostro, cum Ingenio Diligentia certabat, & Ingenium cum Diligentia. Ut dubitari meritò posset, utrum ingenij præstantia diligentiam, an hac illam superaret. Nec ingenij tantum bonitate ac industria aliis multum anteibat: sed judicio etiam exacto, & perquam limato erat præditus: ut & è diversis diversorum expositionibus, quæ ad ipsam sacrorum librorum mentem atque sententiam maximè congruerent, faciliè discerneret, & in controversis questionibus, novis etiam nondumque discussis, veriorem sententiam nullo negotio investigaret, deque suo quasi penu depromeret. A contentionibus quidem & rixis minus necessariis, ut qui maximè, abhorrebat: & licèt doctrinæ cælestis puritatem, ab omnium pravarum opinionum, quocumque illa nomine censerentur, corruptelis vindicandam statueret, & nobiscum unâ consentienter vindicaret, à convitiis tamen & opprobriis abstinendum omninò judicabat. Erat autem & discipline Ecclesiastica studiosissimus, sæpèque conquerebatur, minus in hac re à nostris præstari, quàm & sæculi hujus exulcerati, propemodumque desperati*

con-

conditio, & multorum piorum vota ac gemitus postularent. Ipsa verò vita ejus privata, plena erat exemplorum pietatis, modestia, temperantia, deò plurimis benè merendi studij singularis & eximij.

Patrem habuit eum, cujus laus tamdiu durabit, quamdiu & doctrina sinceritas, & vera Ecclesia prudenter administranda ratio durabit, virum Reverendum & Clarissimum, D. Doct. JOHANNEM MARBACHIUM, Conventus Ecclesiastici nostri Praesidem, & Collegij Thomani Decanum, nec de nostra tantum, sed & de multis aliis Ecclesiis optimè meritum, Praeceptorem & Patronum meum honorandum. Hic verò, ut & reliquos liberos suos in eruditione & correptione DOMINI educabat: ita & duos majores natu filios, Doct. ERASMUM, & qui huic post praclaras Ecclesiae DEI in Styria, Heidelbergæ, & in Carinthia praestitas operas, in professione Theologica successit, Doct. PHILIPPUM, compatrem & collegam, fratris loco itidem mihi honorandum, à teneris, quod ajunt, unguiculis, ad publicam multorum utilitatem, sic instituit & conformavit, ut mea quidem predicatione superiores sint, bonorum verò omnium & piorum testimonio jamdudum praedicentur.

ERASMO vivis exempto PHILIPPUS in professione Theologica successit. Quibus ille votis Academiae, quibus suorum desiderijs fuerit expetitus, epistola partis sextae XXII. XXIV. XXV. XXXI. exponunt. Malo verò de hujus viri virtutibus ex publico Academiae Argentoratensis testimonio, Programmate funebri, judicari, ab Henrico Wittenio, Viro cl. meoque quondam VVittebergæ, apud celeberrimæ memoriæ virum, Jo. Meisnerum, convictore, memoriæ Theologorum renovatæ inserto. Id autem ita habet.

JOHANNES FABER,  
SS. THEOL. LIC. ET PROF. P.  
Lectori S. P. D.

Concurrite, Cives Academici, concurrite, Mania Academiae nostrae ferè everfa sunt. Quorsum hæc? Ante annum & ultra  
f huma-

APPARAT. CAP. III.

42

humavimus Reverendum & Clarissimum Virum, *Dn. Johannem Pappum*, SS. Theol. Doctorem, Præsidentem Conventus Ecclesiastici dignissimum, Verbi divini in Academia nostra Professore celeberrimum, Præceptorem & Collegam piâ memoria & honore debito perpetuò colendum, cultorem atque propagatorem veræ religionis fidelissimum atque constantissimum: Hodie sepeliemus Reverendum & clarissimum Senem, *Dn. Philippum Marbachium*, SS. Theol. Doct. & Professore celeberrimum, Decanum Collegii *D. Thomæ* Spectatissimum, Præceptorem & Collegam nostrum, multis itidem nominibus honorandum. Id quid sibi velit, aut quo divina tendant consilia, boni ac piî Adolescentes cogitabunt: eoque magis colent & reverebunt eos, quos adhuc, Dei beneficio, præceptores habent. Non profecto ut fungi nascuntur, aut in triviis reperiuntur, qui in Scholis docent, & docent utiliter. Et ut Dei bonitati atque clementiæ singulari adscribendum est, quod non Ecclesiæ modò, verùm etiam Scholæ à Doctoribus sunt instructæ piis, fidelibus, literatis, industriis: ita discipulorum in studiis negligentia, in moribus dissolutio, *inæmenda* denique movet eundem, ut quæ dedit dona, rursus auferat. Amisimus, credite mihi, seu potius ad felicem & beatam cum DEO & Ecclesiâ cœlesti consuetudinem præmisimus, virum magnum, singulari pietate, doctrina, vitæ integritate, constantia, & veræ religionis zelo præditum & cujus similem optare fortè, at non reperire facile poterimus: præmisimus, inquam, ex hac ærumnarum valle, ad perennis gaudii consuetudinem, fortem, fidelem, ac veræ veteranum militem, ex acie sublatum; & stationem ejus, quam longò tempore graviter tutatus est, nunc verò vacuum suo discessu reliquit, non sine gemitu intuemur. Plura de tanto Viro in medium proferremus, nisi hoc ipsum gratam posteritatem suo tempore & loco facturam esse, omninò persuasum nobis haberemus. In transcurso quædam saltem attingenda erunt paucis, ex quibus videre licebit, quam mirabiles & planè singulares fortunæ (ita vocabimus in sobrio illo & sano sensu) periodos expertus fuerit. Natus enim anno 1550. die 19. Aprilis

19. Aprilis incluta hac in urbe *Argentinenſi*, ex laudatiſſimis & piſſiſſimis parentibus; Reverendo & Clariſſimo Viro, *Dn. D. Jo. Marbachio*, qui Præſes hic quondam Conventus Eccleſiaſtici, & Theologiae Profeſſor primarius fuit; & matre *Urſulâ*, ex antiquiſſima *Weilandiorum* familia orta, Matriona lectiſſima & piſſima. In hac primum ſchola artium bonarum fundamenta jecit. Deinde iſdem illuſtribus in Academiis, *Baſileenſi* anno 1570. d. 20. Auguſti, *Tubingenſi* 1571. d. 14. Decembr. operam ſumma cum emendatione ingenii, diligentiae, doctrinae, morum amabilitatis, dedit. Poſt *Francofurti*, anno 1572. ac *Roſtochii* 7. Octobr. ejuſdem anni, viros celeberrimos docentes audivit, indeque non in humanioribus tantum ſtudiis, ſed etiam SS. Theologiae cognitione eos fecit progreſſus, ob quos prædictarum Academiarum Doctores & Profeſſoribus charus acceptusque extitit. Quare cum poſt multa ſolertiae & induſtria documenta edita, & acceptam *primam Philoſophiae lauream*, *Baſilea*, 1570. d. 4. Septemb. ad *ſecundam* quoque aspiraret, ibidem libentiſſimè cum aliis admiſſus eſt, & hic etiam honos 3. Octobr. anni prædicti magna multorum gratulatione ipſi collatus, cum omnibus privilegiis, quæ huic ordini à ſacris Principibus amore literarum data & conſeſſa ſunt. Quin inſuper, cum anno 1573. à Reverenda Facultate Theologica Roſtochiana debito modo peteretur, ut ornatus gradu *Licentiati* in Theologia in patriam remitteretur, non potuerunt non honeſtæ huic petitioni morem gerere. Exploratione igitur ingenii & profeſſus ejus acuratiore & graviore, tam in privato examine, quam in publica diſputatione facta, digniſſimum judicarunt, publico eruditionis pietatis & diligentiae teſtimonio, ac gradum *Licentiati in S. Theologia*, publicis & ſolenibus ceremoniis ipſi tribuerunt, menſe Junio, ſpectante frequenti ornatiſſimoque docentium ac diſcentium cœtu, ac facultatem ei dederunt ſumendi gradum Doctoris in Theologia, quodocunq; & ubicunq; voluerit, dummodo id fiat in Academia, eandem cum orthodoxis Eccleſiis veritatis divinae confeſſionem retinente. Et cum ſucceſſu temporis fama de inſigni ejus eruditione percrebuiſ-

fet, anno 1574. d. 19. April. ab illustribus *Styria* Proceribus, & *Dn. D. Dav. Chytrao*, magno illo Theologo, cujus consiliis in restauranda schola & Ecclesia utebantur, ad munus primum *Correctoris*, deinde *Rectoris*, in schola *Gracensi*, legitime vocatus & promotus est. Postea anno 1576. d. 1. Januarii, Sponsalia celebravit, cum nobilissima & honestissima virgine, *Catharina Haussteinia*, filia Viri Nobilissimi, *Dn. Thoma Haussteinii*, Serenissimi Archi-Ducis Austriaci, *Caroli*, Consiliarii & ἑρμῆτις: & eadem sponsalia solenni in templum deductione, nuptiisque subsecutis confirmavit, 26. Febr. Ex qua suscepit liberos utriusq; sexus, quorum masculi 4. foemellæ 2. Dominum Parentem in vitam aeternam præcesserunt, octo autem adhuc, DEI gratiâ, supersunt, masculi tres, foemellæ quinque: inter quos senectutis bajula in primis fuerunt *Dn. Philippus Marpachius*, J. U. Doctor clarissimus, & causarum coram minore hujus urbis Senatu patronus fidelissimus, & Reverendus *Dn. Ulricus Marpachius*, Pastor in Eckbolsheim vigilantissimus: quibus etiam adjungi merito debet primogenitæ filiæ, *Anna Catharina*, maritus, Cl. & Consultissimus Vir, *Dn. Doctor Paulus Rennenkampff*, Reipubl. *Warmatiensi* à Consiliis, amici nostri plurimum honorandi. Relictâ igitur, ut suprâ dictum, Acad. *Rostochianâ*, *Argentinam*, *Dn. noster* Præceptor concessit, indeque non ita multo post *Basileam* reversus, ibique assumpto gradu *Doctoris in Theologiâ*, anno 1579. mense Aprilis, *Heidelbergam* statim sese contulit, ad suscipiendam Professionem Academicam, & inspectionem *Domus Sapientia*; quæ duo officia publica illi à Serenissimo & Illustrissimo Electore Palatino, *Dn. Ludovico p. m.* commissa & demandata fuerunt, mense Junio. Hinc verò post obitum Sereniss. Electoris p. m. in *Carinthiam* vocatus, ad gubernationem illustri *Gymnasti Claudisforiani*, libenter annuit, & officio suo ita est præclare functus, ut decedens memoriam post se gratam, desiderium triste reliquerit omnibus. Mortuo demùm Fratre, *Dn. D. Erasmo Marpachio*, magno illo Theologo, & de Academia nostra optime merito, ex *Carinthia* ad nostram *Academiam*

*nam* vocatus est, anno 1593. Cui annos novendecim ita infer-  
 viit, ut, sive in docendo dexteritatem, fidem, diligentiam quis  
 spectet, sive iudicium consideret acre, sive vitæ sanctimoniam &  
 innocentiam propositam habeat, sive ad religionis sinceræ de-  
 fendendæ atque propagandæ ardorem respiciat; sive alia quærat,  
 quæ in Academia Professore Theologo requiri & solent & de-  
 bent, ejus similes optare fortè, at non reperire facilè multos pos-  
 simus. Ob singularem etiam in expediendis negotiis Academi-  
 cis solertiam, ad officia quoque publica aliquoties adhibitus fuit;  
 & quidem ad *Decani* officium bis, anno 1596. & 1602. ad *Rectoris*  
 etiam bis, anno 1597, & 1606. Ad *visitaturam Academia* semel  
 1604. Merita tanti viri, cum omnibus sint notissima, si comme-  
 morare vellemus, dies & charta nos deficerent, & commodior  
 de his alius dicendi locus sese offeret. Cum autem ante menses  
 aliquot in morbum gravissimum incidisset, tandem nudius quartus,  
 intra horam 7. & 8. vespertinam, importunæ hujus vitæ jam  
 satur & tot peregrinationum & laborum molestiis defatigatus  
 piè, placidè & in constanti fidei confessione, & Filii DEI invoca-  
 tione ardenti, ex vita hac Senex noster Venerandus p. m. exces-  
 sit: non secus ac conviva satur è mensa se subducit, aut ut viator,  
 qui molestias itineris per æstam solis varias gravesque exhaustit,  
 se quieti sine strepitu componere solet. Nunc quid quæso ampli-  
 us restat, in quo nostra debeat esse occupata opera? nihil ampli-  
 us quàm ut tam excellentis animæ exsuvias condigno, & ut  
 certè optimè meruit, sepulturæ pio officio cohonestemus. Quo-  
 niam autem summum honoris hujus funebris ornamentum ab  
 iis proficisci videtur, quos Præceptor & senex noster Venerandus,  
 aut Collegas concordēs, aut discipulos gratos, aut amicos  
 jucundos habuit: Vobis singulis ac universis, quâ par est, reve-  
 rentia ac observantia, amicè significamus, tempus eundis ex-  
 quiis destinatum esse horam diei hujus mediam secundam. Uni-  
 cum hoc vobis indicasse pro re nata sufficere arbitramur. Opti-  
 mè enim novimus merita Senis nostri, cujus in benedictione me-

moria, talia ac tanta esse, ut non tantum amorem, sed honorem omnium vestrum prolixè meruerit. Jam igitur ite, *Cives Academicici*, MARPACHII cheu! quondam nostri exuvias, pretiosissimum certè & charissimum depositum, terræ, communi omnium nostrum matri, reddite, nobis, ut constanter credimus, restituendum, cum summus ille & gloriosus, ab omnibusque piis unice diu exoptatus CHRISTI JESU, Beatarum animarum hospitis, reditus nobis omnia & nos omnibus tandem clementissimè restituet. Veni citò Domine JESU: Valete. PP. *Argentina*, Cal. Octobr. anno M DC XI.


Ut corporis vigore, ita mentis alacritate Erasmus superabat Philippus. Quamvis itaque ille ingenii excellentiâ Philippo non cederet, ætate etiam vinceret, Philippus tamen maturius in publicum prorumpere & eruditionis suæ specimina edere amabat. Quare Basileæ Anno M D LXXI. ætatis suæ vigesimo primo, demortuo Ethices Professore, Huldrico Hugovaldo, Moralem Philosophiam, rogante Academiæ Magistratu, magnâ auditorum frequentiam prælegit, qui in argumentum tenerrimi affectus, quo studia ejus & conatus complecteretur, argenteo poculo laborem ejus remuneravit. Quemadmodum & postea prior ad officia Scholastica promotus, scriptis publicis nominis sui famam undiquaque diffundere adlaboravit, cum Erasmus latere, nec in lucem, nisi quodammodo coactus, summa modestiæ laude, prodire maluerit. Unde præter paucas Disputationes ipso vivente nihil publicam lucem vidit, Commentarius verò in Pentateuchum à Philippo demum, postquam ille fati concesserat, bono Ecclesiæ publico editus est.

Speciem atque lineamenta corporis Philippi, (Erasmus enim, quod ego sciam, ære nunquam expressus est,) sequens tabella representat.

Monu-

Natus Argent.  
1720. 19. April.

Mortuus Argent.  
1798. 20. Sept.



IN EFFIGIEM REVERENDI ET CLARISS.  
P. M. Senis Dr. PHILIPPI MARBACHII S.S. Theol. Doct.  
Professor Argent. Capituliq; ibidem Thomani Decani spectatis.

Hic vir, hic est, nostri qui laus, qui fama Lycei  
Voce, fide, scriptis, dum fuit, una fuit.  
Nomine Marbachii quis non inclaruit orbis  
Teutoniae qua non haeresis extimuit!  
Terra tegit corpus, speciem fert ista Tabella:  
Spiritus in domino religiosus agit.

M. Joh. Paulus Crusius  
Argentoratensis.



APPARAT. CAP. III.

- 45 Monumenta & scripta publicæ luci exposita sunt ista.
- Refutatio examinis M. Christoph. Irenæi, quod adversus primum caput Christiana concordia, de peccato originis, edidit, veritasque illius capitis solide monstratur. Francofurti, 1584.*
- Responsio necessaria & vera ad maledicum librum Fratrum Heidelbergensium, quo ipsum criminis falsi, verum frustra, convincere conati sunt. Witteberga. 1583.*
- Oratio de Origine & causis hæreseon. Argentor. 1593.*
- Ad responsonem D. Christoph. PeZelii, quâ refutationem Tractatus sui de S. Cæna Domini eludere conatus est, Antapodoma. Francofurti. 1595.*
- Orationes quinque habitæ in Academia Argentoratensi. Argentorati. 1596.*
- Apologia Libri Concordia, cum refutatione calumniarum, ab inquietis ingenii adversus hunc librum editarum. Ibid.*
- Disputationes Theologica, de præcipuis doctrina Christiana controversis Ecclesiarum Augustana Confessionis cum Pontificiis, Enchiridio Francisci Costeri, Jesuita, opposita. Argentorati. 1606.*
- Disputationes Theologicas ex statutis & legibus Facultatis Theologicae subinde plures habuit, ex quibus sunt :
- De Bonis operibus.*
  - De Cæna Domini.*
  - De Sacra Cruce, deq; usu & veneratione imaginum.*
  - De Pænitentia & indulgentiis.*
  - De Purgatorio.*
  - De cælibatu sacerdotum.*
  - De Veneratione sanctorum & eorum reliquiis.*
  - De Angelis bonis.*
  - De Providentia & causa peccati.*
  - De Peccato Originis.*
  - De Viribus humanis.*
- Quæ verò in peculiare corpus vel fasciculum nunquam sunt reductæ.

CAPUT IV.

De

EPISTOLARUM HARUM SCRIPTORIBUS.

**P**Ræcipuum epistolæ rectè intelligendæ præsidium est notitia Scriptoris. Hunc enim nisi exactè noveris, neque auctoritas scripto constabit, neque de usu ejus solidè poterit pronunciarî. Nec verò satis est, scivisse nomen auctoris, de personâ, de officio statuque, deque actionibus, quibus publicè occupatus fuerat, non minus cognosci oportet. Intueri in os dicentis omnes prius volunt, & imbui personæ, quæ loquitur, notitiâ, quam verba percipiunt. Necessarium itaque fuerit, ut partim illorum, ad quos epistolæ nostræ exaratae sunt, partim eorum, qui easdem scripserunt, vitam quasi per indicem consignemus, neque quicquam ejus lateat, quod memoratu dignum gessisse quisque historiarum monumentis proditus est. Id quod expressis ad rem quamlibet annis ideò faciemus, ut conferenti Epistolam primo statim intuitu appareat, quod occupaverit atatis spacium, cum epistolam scriberet? Quo in officio tum fuerit constitutus? quo loco tum habitaverit? Quæ ad rectè intelligendum scriptiois argumentum ingens pondus habere, quisque ultrò intellecturus est.

I.

D. JOANNES MARBACHIUS.

**N**atus Lindaviæ, Patre VValthero Marbachio, cive  
 & Anna Salzmännin, matre, 13. April. Anno . 1521  
 Studiis operam locat Argentorati & VVittebergæ, in  
 Lutheri convictu. . . . . 1536. 1539.  
 Philosophiæ magister. . . . . 1540.  
 Diaconus Jenensis. . . . . 1541.  
 Doctor Theologiæ à Luthero promotus. . . . . 1543.

g

Ducit

APPARAT. CAP. IV.

50  
 Ducit Ursulam VVeislandin, ex qua suscepit Annam  
 Margaretham, Oberti Giphanii, Jcti & Prof. Argent.  
 postea conjugem: Barbaram, Georgio Obrechto,  
 Jcto & Prof. Argent. in matrimonium collocatam:  
 Ulricum, Pastorem postea VVormatiensem: Era-  
 smum, Theologiæ Argent. Doct. & Prof. Philippum,  
 D. & Prof. Ex quo postea natus est Ulricus, Pastor  
 ad D. Sen. Petri. Argent. qui filiam unicam, Mariam  
 Magdalenam, Georgio Obrechto, Jcto & Senat. Min.  
 Argent. Advocato atque Procuratori, conjugem  
 dedit.

Pastor Ysnensis, à Paulo Fagio introductus.	1543.
A Zvvinglianis ejectus, Diaconus primum, & paulo post Pastor Ecclesiæ Argentorat. ad S. Nicol. consti- tuitur.	1545.
Præses conventus Ecclesiastici, seu Superintendens.	1551.
A Senatu Argentor. ad varios conventus mittitur. Ad Lipsiensem.	1548.
Ad Tridentinum Conc.	1552.
Ad VVormatiens.	1557.
Palatinatum post mortem Friderici Electoris jussu Otto- nis Henrici, Pal. Evangelico more reformat	1556.
Professor Theologiæ, in Acad. Argent.	1552.
Decanus Collegii Thomani.	1557.
Moritur, 17. Martii.	1581.

II.

D. ERASMUS MARBACHIUS.

Natus Argentorati, Patre Joanne Marbachio & Ursulâ VVeislandin. 23. August.	1548.
Philosophiæ Magister Basileæ	1570.
	Postquam

DE EPISTOLARUM SCRIPTORIBUS.

Postquam studiis Argentorati, Basileæ, Tubingæ, & Rostochii incubisset, Theologiae Licentiatus.	91 1573.
Doctor Basileæ.	1579.
Theologiae post Patris obitum Professor.	1581.
Lectiones suas in Pentateuchum Mosaicam instituit, quæ à Philippo Marbachio post ejus obitum in pu- blicum editæ sunt.	1597.
Moritur in cœlibatu.	1593.

III.

D. PHILIPPUS MARBACHIUS.

<b>N</b> atus, Patre Johanne Marbachio & matre, Ursula VVeislandin, Ysnensi, Argentorati, 19. April. - -	1550.
Studiis operam dat Basileæ, ubi & Philosophiæ magister creatur.	1570.
Ei in hac Academia Philosophiæ Moralis Professio extra- ordinaria demandatur.	1571.
Tubingam hoc ipso anno & postea Rostochium abit.	1572.
Licentiatus hic fit Theologiæ.	1573.
Græcii in Styria primum Conrector, postea Prorektor, denique Reçtor.	1574.
Matrimonium cum Catharina Haussteinin ibidem con- trahit, & plures ex eâ suscipit liberos.	1576.
Ad colloquium Schlemmingense, cum Flacianis institu- tum, tanquam auditor, amandatur.	1577.
Doctor Theologiæ Basileæ creatur.	1579.
Heidelbergam vocatur ad capeßendam Professionem Theologicam.	1579.
Cum Johannes Casimirus, Elector, Zvvinglianam religio- nem in provincias suas introduceret, pulsus primum è domo Sapientiæ, mox è Professione.	1584.

Ad Re-

Ad Rectoratum Clagenfurdanum in Carinthia vocatur, quem suscipit.	1584.
Ad Professionem Theologiae Argentoratum vocatur.	1393.
Decanus ad S. Thomæ.	1601.
E liberis ejus conjugium contraxere: Anna Catharina, cum Paulo Rennenkampf, U. J. D. Rigenfi è Livoniâ, Syndico VVormat. Philippus U. J. D. Senatus Min. Argent. Procurator, cum Anna Maria Heldin. Ulri- cus, Birkenfeldensis aulae Concionator primum, dein Pastor Echolzheimensis, tum Diaconus & deniq; pa- stor ad D. Sen. Petr. Argent. cum Jacobæa Felzia.	
Moritur 28. Sept.	1611.

## IV.

## PHILIPPUS MELANTHON.

Natus Brettæ in Palatinatu, 16. Febr.	1497.
Pforzheimii, Præceptore in latinis Joanne Hungaro, in græcis Georgio Simlero, literis vacat, & postea Hei- delbergæ	1509.
Baccalaureus.	1511.
Tubingam venit.	1512.
Philosophiæ magister.	1513.
In ea Acad. docet Virgilium, Terentium, Ciceronem, Livium.	
VVittebergam proficiscitur ex Capnionis consilio, ibi- que Homerum & quædam Scripturæ S. prælegit.	1518.
Luthero adest Lipsiæ, cum Ekio disputanti.	1519.
Epistolam ad Rom. interpretatur; edit librum ad 7. Paris. & Locos.	1520.
Noribergensem scholam ordinat.	1525
Ecclesiarum in Elector. Saxon. inspectioni & visitationi præficitur.	1527. Cum

- Cum Electore ad conventum Spirens. abit. Contra Oecolamp. scribit. Interest colloquio Marpurg. 1529.
- Ad comita August. abit & confessionem condit, aliaque. 1530.
- Vocatur à Landgr. Hassiæ ad colloquium cum Bucero. 1534.
- Ab Angliæ & Galliæ Regibus expetitur, sed ab Elect. non dimittitur. 1535.
- Ad suos invisendos excurrit. Conventui Smalkaldensi interest. 1536.
- Cum Electore ad conventum Francofurt. proficiscitur, editque scriptum de legitimâ defensione. 1539.
- Iterum Smalkaldiano colloquio interest. Et contra Svenkfeld. atque Scepticos scribit. Et ad Hagenoensem conventum abiturus lethaliter decumbit. 1540.
- Interest colloquio VVormatiensi cum Eccio & postea Ratisbonensi, inter ipsum, Bucero, Pistorium, & Pflugium, Eccium & Gropperum. 1541.
- Inaugurationi Episcopi Naumburg. interest. 1542.
- Et reformationi Coloniensi, quamquam sine successu. 1543.
- Itemque ordinationi Georgii Anhaltini. Edit scriptum de reformandis Ecclesiis. 1545.
- A morte Lutheri, bello cum Cæs. exorto Melanth. Servestam cum scholasticis discedit. 1546.
- Redit ad officium Scholasticum VVirteb. Instauratur Acad. Lipsiensis, octo conventib. de Interim institutis adest. Germaniæ captivitatem deplorat. Non traditur Cæsari, eundem poscenti. 1547.
- Interest trib. aliis conventib. ob Interim. Contra Flacium scribit. 1549.
- Conventui Lipsiensi ob Conc. Trid. præest. In quo edita repetita Confessio August. à VVürtenb. & Argent. approbata. 1550.
- Norimbergam, Tridentum iturus, proficiscitur. Ob bellum à Mauritio Cæsari paratum regreditur. Aca-

demia VVitt. ob pestem Torgam translata.	1552
Contra Osiandrum & Stankarum scribit. Item examen ordinandorum.	1553
Conventus Naumburgensis. In quo Melanth. Forster. Alef. Crafft. Sleidan.	1554.
Turbatam Ecclesiam Norib. & certamen Osiand. & Flacian. pacat.	1555.
Cum Flacio dissidium. Et scripta objectionum Pontif. refutatio.	1556.
Colloquio VVormatiensi postremo interest. Heidelbergam accersitur & Uxor ei mors nunciatur.	1557.
Scribit contra Staphylum. Et ad Græcos A. C. mittit.	1559.
Moritur 9. April.	1560.

De quo non gravabimur integrum *Jac. Aug. Thvani* elogium adscribere, quod sub finem septimi & vicesimi libri ita habet: *Exortis in Germaniâ propter religionem turbis perpetuus M. Lutheri affecla, longè diversum tamen à Doctore suo ingenium ad eam causam attulit. Nam cum omni ope anniteretur, ut doctrina, quam tradebat, esset perspicua, & ambigua explicarentur, in eo summa alioqui erat alterationum ac rixarum fuga & maximum tranquillitatis ac quietis studium, ut nisi de necessariis contendendum minimè putaret. Nam posse conniveri ad nonnulla, ferri denique multa debere. Quâ animi moderatione & aequitate, quamquam exacerbatis tum temporis summopere omuium animis, maximorum tamen Virorum opinione dissidentium amicitiam ac benevolentiam meruit. Certè Franciscus ante XXX. annos, cognito Melanthonis peculiari ad sedandas eas, qua in Ecclesiâ invec̃ta sunt, turbas, studio, ex Gulielmo Wilhelmo Langajo, protinus ad eum Guisâ scripsit, misso Barnabâ Voieo Fosâ, rogavitque, ut quam primum in Galliam se conferret, de unione doctrinarum cum selectis aliquot doctoribus acturus, quo pulcerrima illa sacra administrationis concordia sarciri posset. Biennio verò post Jacobus Sadoletus, Episcopus Carpenteractensis, cum Romam venisset & in Cardinalium collegium prater spem ac votum cooptatus fuisset,*

AMAN-

amantissimas literas ad eum dedit, quibus significabat, ardentissimè expetere se, ut quantumvis locorum spatiis & opinionum dissidentia dividerentur, amore & studiorum communicatione in posterum conjungerentur. Sed qui obviam eam humanitatem in exteris ac diversa sentientibus probavit, longè contrariam fortunam inter suos & eandem doctrinam profitentes expertus est. Nam exorta repente in Germaniâ factio eorum, qui ut se flagrantiore in religionis causâ studio versari demonstrarent, omnem conciliationem & concordia incunda mediam viam aspernabantur, & cæteros paci studentes, quos Adia-phoristas & Interimistas, nominibus ad odium compositis, vocabant, ut desertores & in pietatis negotio tepidos damnabant. Horum antesignani fuerunt Matthias Flacius Illyricus & Nicol. Gallus, quibus cum tota vita viro tranquillitatis alioqui cupido certamen fuit. In quo proinde post mortem reprehensa est à suis ea, quam dixi, rixarum & contentionum fuga. Præterea nimium philosophia & mathematicarum artium studium, atque illius præsertim partis, qua ex astrorum positu ac concursu de vitâ ac fortunis hominum decernit. Verum de iis omnibus diligenter & ornatè admodum perscripsit Joachimus Camerarius, Melanthoni totâ vitâ conjunctissimus, cujus accuratam narrationem legisse, ut mihi jucundum fuit, ita ab iis, qui Ecclesia paci consultum cupiunt, eam cognosci non inutile existimo. Complures filias reliquit Melanthon, ex quibus Anna elocata est Georgio Sabino, Brandeburgensi, Poëta inter Germanos non exigui nominis, qui à P. Bembo, Casp. Contareno, Cardinalibus, Baptistâ Egnatio, Ludovico Becatello, Italis, dum viveret, magno in pretio habitus.

Imaginem Philippi cum designatione operum plerorumque, quæ scripsit, habes ap. Jo. Jac. Boissard. Part. III. Icon. VI. p. 45. seqq.

## V.

## VALENTINUS VANNIUS.

Natus in Sueviâ, Theologicis studiis eo successu incubuit, ut primo Cisterciensi ordini Maulbrun-

NE NO-



næ nomen daret, deinde scriptis Lutheri permotus ordinem desereret & Ecclesiæ primum Canstadianæ, deinde Stutgardianæ præficeretur, denique Abbas Maulbrunnensis designatus, cum D. Brentio, Beur- lino & Heerbrando mitteretur ad Conc. Trid.	1552.
Colloquio Maulbrunnensi interest. Vide Protocoll. Colloq. Heidelb.	1564.
Claret nominis fama, scriptis contra INTERIM, & de Mis- sâ contra Joh. Fabri.	1548.
Moritur 27. Aug.	1567.

Imaginem viri exhibet Pant. Profopogr. Part. III.

## VI.

## MARTINUS FRECHTUS.

Natus in Suevia, cum Theologiæ operam dedisset, in Acad. Heidelb. Theol. Licentiatuſ & paulò post Professor renunciatur.	1526.
Ulmam sub initium reformatæ ibi Eccles. vocatus, ut primarium Ecclesiasten ageret.	1528
Cum Bucero & Musculo ob cœnæ negotium in Sax. ad Luth. proficiscitur.	1536.
Mittitur ad VVormatiense colloquium.	1540.
Ob repudiatum Interim custodiæ traditus.	1546.
Liberatus Tubingam ad Professionem & Ephoriam vocatur.	1549.
Moritur 14. Septembr.	1556.

## VII.

## PAULUS FAGIUS.

Natus Tabernis Rhenanis, Patre Petro Bûchlein & Margar. Hirnin.	1504. Heidel-
--	------------------

Heidelbergæ literis incumbit, Doctore cumprimis Jo. Brentio & Mart. Frechto.	1515.
Argentinae Hebraicis literis vacat, Doct. Capitone, He- dione, Bucero, Zellio.	1522.
Ludimagister Isnensis factus uxorem ducit & liberos procreat.	1527.
Argentinae iterum studia Hebr. & Graeca profecquitur, Ysnam redit, in ministerium recipitur, varia edit, sumptu Petri Bufleri.	1537.
Argentinae vocatus abiit.	1542.
In Angliam à Thom. Crammero expetitus, cum Bu- cero proficiscitur.	1549.
Moritur non sine veneni suspicione 13. Novembr.	1550.

## De quo Guilihelmus Daius.

*Bucero primas dedimus, Tibi, Paule, secundas,  
 Et damus Hebrae gloria prima schola.  
 Hoc uno inferior Bucero, Paule, fuisti,  
 Quod prior extremum cernis adesse diem.  
 Verum illo major Bucero, Paule, fuisti,  
 Quod prior aeterno jussus adesse DEO.  
 In reliquo similem duxisti tempore vitam,  
 Ambo salutiferi buccina fida DEI.  
 Ambo stelliferi sparsistis semina regni,  
 Semina proventu non caritura suo.  
 Unde utrumque DEUS magno dignatus honore,  
 Utrumque ad superi transtulit astra poli.  
 Et ne vestra queant communia fata putari,  
 Qualia sunt, qua nos vulgus inane ferunt,  
 Mors postquam è vita solita vos lege tulisset,  
 Restituit sacris ossa cremanda focis.  
 Non ut confessi tantum, sed ut ultima passi,  
 Scandatis celsè sidera summa poli.*

h

Felices

APPARAT. CAP. IV.

*Felices anima, superas licet istis ad oras,  
A vobis vestrum nomen abire nequit.  
Eximia semper vivetis laude perennes,  
Quam canet Aoniis nostra Thalia modis.*

Imaginem Fagii, cum plerisque ab eo editis ingenii monumentis, Part. IV. Icon. XXVII. exhibet Jo. Jac. Boissardus.

VIII.

SIMON SULCERUS.

<b>N</b> atus Bernæ.	1508.
Præceptore Rubello literarum ponit fundamenta: dein sub Osyv. Myconio Lucernæ; tum sub Glareano Basileæ proficit, ubi Philosoph. M. creatur.	1532.
Primum œconomus collegii Basil. constitutus: tum Bernam ad Scholam vocatus, tandem Basileam rediit, Ephorus alumnis datus.	1534.
Ad Lutherum proficiscitur, de cœnæ negotio collaturus.	1538.
Vocatur in ministerium Bernense.	1539.
Basileam redit, pertœsus dissidiorum de cœnâ. Fit œconomus collegii Augustiniani & Ecclesiæ paulo post minister.	1548.
Post Münsteri obitum professio ei demandatur Hebr. Lingu. Et pastoratus summi templi.	1542.
Professio Theologiæ.	1545.
Unâ cum D. Jac. Andr. & D. Jac. Heerbrando Ecclesias Marchionatus Badl. reformat: earumque postea in- spectionem & curam gerit.	1550.
Theologiæ Doctor.	1563.
Moritur 22. Junii.	1585.
De quo Cent. XVI. libr. IV. c. XXI. Lucas Osiander: <i>Vir opti- mus &amp; in doctrinâ sincerissimus, olim Witteberga Lutheri discipu- lus.</i>	

*lors. Hic doctrinam sanam, à Luthero susceptam, fideliter & constantiter retinuit, eamque mirâ prudentiâ & dexteritate plantavit in urbe Basileâ, in quâ etiam piè in Domino obdormivit. Nunc autem mortuo Sulcero Basileæ regnat Calvinismus, à Joh. Jac. Grynes introductus.*

Imaginem Sulceri & editorum scriptorum catalogum dat Jo. Jac. Boissard. Ic. 37. Part. IV.

## IX.

## JOANNES MATHESIUS.

- N**atus Rochlitii 14. Jun. 1504.  
 Primum in Scholis Trivialib. informatus, serò VVit-  
 tebergam accessit. 1529.  
 Usus præceptoribus Luthero, Melanphone, Bugen-  
 gio, Jonâ Aurogallo, VVinshemio, Crucigero, pri-  
 mum Scholæ postea Ecclesiæ vallis Joachimicæ præ-  
 ficitur. 1533.  
 Cum varios libros, inpr. Sareptam & Chronicon val-  
 lis Joach. edidisset, apoplexiâ moritur. 7. Octobr. 1565.

De quo in Iconibus Jo. Jac. Boissardus, Vesuntinus: *Pastor Ecclesiæ in valle Joachimicâ equidem vigilantissimus. Tantâ fuit pietate & tam eximiâ constantia, tot in illo virtutes fuerunt, adeò admirabilis ac penè Divina facundia & in docendo dexteritas singularis, ut nunquam satis dignè predicari possit. Vide & Thuanum, libri trigesimi primi fine.*

Imaginem cum Catalogo operum exhibet Part. III. Icon. XL.

## MARTINUS BUCERUS.

- Natus Selestadii in Alsatiâ. . . . . 1491.  
 Dominicanorum sodalities sese addicit. . . . . 1506.  
 Heidelbergæ studia tractat & à Friderico Palat. sacris  
 adhibetur, cumque Luthero VVormatiæ colloqui-  
 tur & ei sese addicit. . . . . 1524.  
 Argentorati sacra publicè in Ecclesiâ & Scholâ docere  
 incipit cum Matthiâ Zellio & Casp. Hedione. . . . . 1523.  
 Ad colloquium Marpurgense cum Hedione mittitur. . . . . 1529.  
 Ad Augustana comitia & ad Lutherum, Coburgi tum  
 subsistentem, dissidii Sacra. causa. . . . . 1530.  
 Ulmenfes Ecclesias cum Oecolampadio reformat. . . . . 1531.  
 Ad Lutherum proficiscitur & concordiam cum eo ob  
 quædam in religione dissidia init. . . . . 1536.  
 Conventui Smalcaldensi interest. . . . . 1537.  
 A Carolo Imp. ad colloquium Ratisbon. cum aliis de-  
 putatur. . . . . 1541.  
 Ecclesias Colonienses reformare jubetur cum Melan-  
 thone, sed propter cleri contumaciam infelici suc-  
 cessu. . . . . 1542. 1543.  
 Iterum jussu Cæsaris colloquii Ratisbonensis partem  
 cum Brentio & Snepffio constituit. . . . . 1546.  
 Augustam ab Elect. Brandeb. ut Interim approbaret, evo-  
 catus, adduci non potuit, ut subscriberet. . . . . 1548.  
 In Angliam à Thomâ Crammero vocatus, Cantabri-  
 giæ N. T. docet. . . . . 1549.  
 In Theologiæ Doctorem sine ullo publico riru coopta-  
 tur. . . . . 1549.  
 Moritur 17. Februar. . . . . 1551.  
 Una cum Fagio, cum mortuo Edoardo Rege Maria thro-  
 num conscendisset, effoditur, hæreseos condemna-  
 tur.

tur, comburitur, 6. Februar.

1555.

Qui tamen ab Elifabetha, regnum adeptâ, in integrum restituantur & posteritati commendantur.

1560.

De Bucero isthæc habet, sub finem octavilibræ Jac. Aug. Thuanus: eodem anno Martinus Bucerus, Selestadii in Alsatiâ natus, quem relicta Argentina in Angliam transmississe diximus, Cantabrigiæ diem suum obiit, pridè Cal. Mart. cum LXI. ætatis annum ageret, multorum carminibus epitaphijs celebratus, ac præcipuè duorum Suffolciorum fratrum, quorum mater semper ægrotanti assedit & omnia humanitatis officia præstitit. Paulo antequam moreretur, cum Germania statum deploraret, vereri se sæpius dixit, ut in tanto multorum ardore DEUM cognoscendi & Ecclesiæ instaurandæ, deficienti disciplinâ, quâ improbi castigarentur & ordo in ministerio servaretur, laudabiles eorum conatus diu aut feliciter procederent. Itaque optare unicè se, ut quæ ad Eduardum Regem de Ecclesiæ disciplinâ constituendâ scripto comprehendisset, per Angliæ regnum locum haberent & religiosè observarentur. Funus ejus magnâ frequentiâ celebratum, plus II CIO. hominum illud deducentibus, & corpus in majore urbis templo conditum est. Orthodoxia viri adversus Zvvinglianorum corruptelas, postquam A. 1536. VVittebergæ cum Luthero collocutus concordiam quandam formam iniit, in ordinatione Ecclesiasticâ Argentoratensi laudatur & defenditur. Quæ tamen neque tam constans, neque tam sincera fuit, quin à Lutheranis pariter atque Zvvinglianis subinde culparetur. Nam & Lutherus aliquando in hæc fertur verba erupisse: *spermologus est, nil nisi conciliationes quærens & tractans, sed apud me conciliationes ipsius nihil amplius habebunt loci.* Et Helvetii doctores, quibus eundem cum Luthero consensum amore pacis persuadere annitebatur, animum ideò ab eo alieniorem gesserunt. Pelicanus enim in Epistolâ quadam ad familiarem VVittebergensem: *Longè jampridem aliter Bucerus & nobis & magistratibus nostris & civitatibus Helveticis hoc negotium aliquoties proponere & persuadere*

conatus fuit, nempe Lutherum in nostram jam pedibus ivisse sententiam. Nos verò contrarium ex Lutheri libris audiente magistratu nostro ipsi demonstravimus. Etsi autem Bucerus responderet, nunc aliter rem sese habere & Lutherum jam mitiorem factum, minimè alienum à doctrinâ nostra, fidem tamen adhibere ei huc usque non possumus. Tibi verò rectius erudienti credimus & rem minimè dubitamus. At Bucerum ne quidem intelligimus, multò minus fidem ei habemus. De eadem Buceri lenitate ac indulgentiâ, formulis item illius in docendo dubiis, obscuris & ad aures adversariorum compositis magis, quam ad soliditatem doctrinæ, & Martyrem & Calvinum conquestum esse, ex monumentis non dubiis, in Summâ Controversiarum, libro IX. p. 671. Jo. Hoornbeckius ostendit. Itaque Argentinsensis hodie Ecclesiæ Doctores, atque inter eos vir celeberrimi nominis, Jo. Conr. Dannhauerus, libro, qui inscribitur: Reformirtes Salve und Friedengruß p. 795. sic judicat: Keineswegs aber wird deswegen Bucerus von uns verdammet / bey welchem anfangs auß Schwachheit ein Mißverstand in der Lehr vom H. Abendmahl gewesen / darauff Er ein vergleich der Sachen mit der Schweiz zu künstlen unterstanden. Das war ein Nevus, den Er hernach mit dem Marterfeuer / damit seine Gebein verbrant / (in gesundem Verstand / wie Augustinus von Cypriano redet) aufgeschäubert worden. Et Ibid. p. 558. die Nevi seynd in denen Orthodoxen Lehrern unverdämlich / die Käheren und Rotten in denen andern falschen Lehrern verdammlich gewesen. Ursach / jenen ist das Liecht der Wahrheit noch nicht hell genug erschienen / und sind als schwachglaubige zu toleriren gewest. In welcher betrachtung von Bucero mildest zu urtheilen wir allhie zu Straßburg grosse Ursach haben.

Imaginem Buceri unâ cum Catalogo scriptorum exhibet Jo. Jac. Boissardus, Part. VI. lc. XXXI.

## XL

## DAVID CHYTRÆUS,

- N**atus, Patre Matthæo Rochaffe / Pastore primum  
Ingelfingenſi, tum Menzingenſi, & Matre Barba-  
ra Neibergin, 16. Februar. Ingelfingæ in Sueviâ. 1330.
- G**emmingæ primum VVolfſg. Buſium & Fr. Irenicuri  
Tubingæ Hier. Gerardum, Joach. Camerarium, Jo.  
Svvebelium, Jac. Schekium, in Theologicis Erhard.  
Snepff. audit. Commilitonibus utitur G. Liebler, o,  
Jac. Andr. Theod. Snepffio, gradumque in Philoſo-  
phia ſummum aſſumit, anno ætatis decimo quinto. 1345.
- S**umptu generoſi equitis Petri à Menzingen VVitteber-  
gam abit, Melanthonis muſæo & convictu utitur,  
Lutherum audit. 1345.
- B**ello exardente Heidelbergam venit, Jac. Micyllum au-  
dit, iterumque Tubingam. 1346.
- R**egreditur VVittebergam, ibique & diſcit & docet. 1348.
- I**taliã adit & Romam perluſtrat. 1350.
- A**d profeſſionem Acad. Roſtoch. vocatur, ibique do-  
cendi initium facit 14. April. 1351.
- E**xpetitur à Rege Dano, ab Auguſtanis, ab Argentora-  
tenſibus. 1352. f.
- A**b Electore Palatino ad Prof. Theol. ſed impetrari à  
Jo. Alb. Duce Megap. non poteſt. 1354.
- I**ter in Friſiam, Brabantiam, Flandriã, Belgium ſuſci-  
pit & in patria patrem viſit, iterumque ab Electore &  
Argentor. & Dano, ſed ſine ſucceſſu, ſollicitatur. 1357.
- D**octor Theologiæ à Jac. Rungio Gryphisvaldiæ crea-  
tur. 1361.
- E**xpetitur à Strãlfundeniſibus & Rege Sueciæ. 1365.
- U**lricum Ducem ſuum ad comitia Auguſtana ſequitur. 1366.
- A**b Imperatore cum Joach. Camer. in Auſtriã evo-  
catur.



- 64  
 catur, ibique consiliis suis Ecclesias instaurat, Ungariam quoque lustrat. 1569.  
 Duces Megap. Ulricus & Albert. supremam ipsi Ecclesiarum curam commendant. 1569.  
 Berolinum evocatur, ad Capituli Reformationem, eodem anno. Et expetitur ad professionem Francofurtanam. 1571.  
 In Stiriâ Augustanæ Conf. Ecclesias constituit & Scholam. Itemque Ecclesias Auftriacas. 1547.  
 A VViteb. Acad. expetitur, itemque à Kegiomontanis. 1575.  
 Deliberationibus de fundatione Academiæ Julii Rittershusii; & conventibus Theologorum de concordia Formulâ, Torgæ, Magdeburgi, Tangermündæ & Jütterboci interest. 1576.  
 Patriam suam invisit & iterum ab Electore Palat. ad Acad. Heidelb. expetitur. 1577.  
 Moritur in Domino 25. Jun. 1600.  
 Duas habuit Uxores, Margaretham Smedesiam, & ex hac generos, Jo. Frederum & Jo. Georg Gödelmannum; atque Margaretham Pegeliam: exque hac Ulricum & Davidem, filios.  
 De Dav. Chytræo *D. Georg. Calixtus*, Tractatu luculento de Communione sub utraque specie, p. 69. *Vir non minoris prudentiæ & moderationis, quam pietatis & eruditionis.* Qui quanti ab ipso Imperatore Maximiliano, quamquam diversum ab ipso religionis institutum sequente, habitus fuerit, memorabilis Cæsaris Epistola, ad Ulricum Megapolitanum scripta, prodit, quam à Calixto primum editam integram hic describemus.

### Maximilian.

Præmissis præmittendis.

Nachdem auff Unser beschehen genädig gesunnen D. L.  
 Unseren zweyen Ständen einer Ersamen Landschafft von  
 Herren

Herrn und Ritterschaft des Unfers Erb. Herzogthums Oesterreich unter der Ens / zu berathschlagung allerley Religions. Sachen / den Ehrsamem gelehrten Davidem Chytraum allher zu kummen und sich seinem besondern Verstand nach gebrauchen zu lassen bewilliget / welcher sich dann dermassen gehorsam / gutwillig und beflissen erzeigt / und mit Bescheidenung seines besondern vortrefflichen Eysfers / so er zu Besserung des gemeinen heilsamen Religions wesens und zu stiftung guter Ordnung hat / dermassen verhalten / das nicht allein sie / Unsere getreue Landstände / sondern auch Wir selbst ein sonder gnädiges wohlgefallen darob empfangen: So thun wir Uns derselben zulassung gegen D. L. desto mehr gnädiglich bedanken. Und wolten vorder gern gesehen haben / das ermeldter Chytraus etwas zeitlicher wieder zu D. L. Universitât zu Rostock kummen und daselbst sein function mit Frucht continui- ren mögen; wie er dann umb solche zeitlichere und fordersamer dimission, erlassung und wiederabfertigung mehrfältig und einfüglich angehalten. Wann aber solche allerhand ver- hinderungen halber ehender nicht geschehen kunden / so begeh- ren wir an D. L. ganz gnädiglich / sie wollen ihne Chytraum solchen verlängerten allhie bleibens für sich und sonst allent- halben entschuldigt nehmen / und ihne bey Ihrer angeregter Universitât zu Rostock / wo von nöthen / entschuldigen. In- sonderheit aber auch ihne / Chytraum, sonst anderwerths zu seiner fernern Befürderung / (deren er zumahl ganz wohl wür- dig) um besten befohlen haben. Dabey erzeigen uns D. L. ein sonder an und Dancknehmige Wohlgefälligkeit / gegen dersel- ben in Gnaden / damit wir D. L. ohne das gewogen / wieder- umb zu erkennen und zu bedencken. Geben / Wien / den 15. August. Anno 1569.

Ista viri moderatio zelotiarum morfus & convitia non potuit effugere, qui more adhuc hodie usitato, Syncretismi, seu, ut tum

loquebantur, Adiaphorismi labe eundem ideò, quod non ubique caninâ rabie adversarios suos allatraret, quamquam summa iniquitate, adsperserunt. Occasionem calumniis dederat religiosa præceptoris sui, Melanthonis, veneratio, quem complurimi majore quam Judæum Turcamque odio incessabant. Quâdere non omitemus querelam ipsius Chytrai adscribere, quam in publico Academia Rostochiensis auditorio, Anno 1570. habitâ solenni oratione, de studio Theologiae rectè inchoando, effudit. Ita autem ille sub finem ejusdem de Philippo: *Itaque & pro hac discendi ratione, fidelissimè monstrata, & pro paternâ fide, benevolentia & ceteris erga me innumerabilibus beneficiis, vicissim me Reverendo Præceptoris nostro omnia grati animi officia debere profiteor. Quem ego quidem verâ animi pietate & reverentiâ semper colui ac veneratus sum & perpetuò colam, eique omnia mea studia, & si quid est, quo aliorum studiis prodesse possum, & pleraque alia vita mea commoda, inprimis post DEUM gratâ semper mente & voce refero accepta. Cujus mea voluntatis & perpetue erga Præceptorem observantia & gratitudinis vos etiam testes esse potestis, qui me aliquot annis eruditissima D. Præceptoris scripta, Locos inprimis Theologicos & Examen & Dialecticam, & Chronicon publicè prælegentem, additâ etiam crebrâ & honorificentissimâ Præceptoris mentione, audivistis. Quam hoc in loco eam ob causam repeto, quod inter vos quoque & passim alibi virulentos & falsissimos rumores spargi audio & disseminari, quibus ea mihi tribuuntur, quæ nunquam in omni vitâ, ne quidem in somnis, mihi in mentem venerunt. Ego me testimonio conscientia mea & fiduciâ auxiliij Divini, & exemplis multorum piorum, qui per calumniam oppressi sunt, sustento. Et pro mea virili parte illam verâ de DEO doctrinam, per Lutherum & Philippum instauratam, methodon, quæ in Locis communibus ex verbo DEI extructa est, velut patrimonium Ecclesie, & ~~quædam hæc gratiam~~ retinebo fideliter. Nec ullis me calumniis frangi patiar, ut vel ab eo doctrina corpore, vel à pietate & reverentia Præceptoris debita discedam.* Jac. August. Thuanus, libro Historiarum CXXVI. ita

de eo

de eodem: Meruit & David Chytraus, qui tot virorum, quantum in ipso fuit, memoriam ab oblivione asseruit, ne ipse indictus relinquatur. Qui in Suevia Braenkeikema Wirtenbergensis Principatus oppido natus Tubingæ & Heidelbergæ studiorum tyrocinia fecit, & à Megapolensibus Ducibus evocatus, diu Rostochij professus est, ac tandem septuagenario major hoc anno, tertio Non. quint. ex hac vita migravit.

## XII.

## PAULUS EBERUS.

Natus Kittingæ, Franconia oppido, Patre Joanne Ebero, Matre Margarethâ Pflumiâ, VI. Id. Nov.	1511.
Onolsbachii studiis incumbit.	1523.
Morbis & aliis casibus curvus & gibbosus redditur.	1524.
Norimbergam ad ludum literarium, à Joach. Camer. apertum abducitur.	1525.
VVittebergam venit.	1532.
Magister Philosophiæ creatur.	1536.
In Facultatis Philosophicæ collegium cooptatur.	1537.
In contubernium familiarium Phil. Melanthonis admittitur, privatim informando tempus collocat, ducitque Helenam, virginem Lipsiensem.	1541.
Fit VVittebergæ Professor Grammatices.	1544.
Jo. Forstero datur successor. Interest cum Melanthono Colloquio VVormatiensi. Denique Pastor fit Ecclesiæ VViteb. post Jo. Bugenhag. Pomeran.	1558.
Doctor Theologiæ creatur.	1559.
Jenæ Stösselium in Doctorem promovet.	1564.
Cum Paul. Crellio Onoldsbaci Theologorum controversias componit. Et colloquio Altenburgensi interest.	1564.

MORITUR

Moritur 10. Decembr.

1569.

De hoc Paulo Ebero *D. Lucas Ofsander* Cent. XVI. lib. III. cap. LXV. ita iudicat: *Primò in universitate Wittebergenfi, non Theologiam sed Mathematia professus erat, postea in cathedram Lutheri, (mirabile dictu) collocatus Evangelion docuit. Vir quidem doctissimus & pius, sed tamen ab humanis infirmitatibus non alienus. Nam & Philippi & aliorum Misnicorum Theologorum erratis defensionem suam communicavit, & in negotio de sacra cœna novam opinionem introduxit, duplices indignos fingens, Christianos, non satis dignè ad cœna Dominica sumptionem paratos: & homines Epicureos, ethnicos, Turcas & similes, à Christiana religione prorsus alienos. Et hos quidem corpus & sanguinem Christi omnino non accipere asseruit: priores verò corpus & sanguinem Christi ad iudicium sumere docuit. Qua nova distinctio hæcenus in Ecclesia Christi fuit inaudita, & ut spero, ab eo tempore oblitterata & cum auctore sepulta est.* Stabat & hic Eberus à Melanthonis partibus & post ipsius mortem Peucero familiariter utens vel Zvinglianae opinioni favebat, vel eandem damnare detrectabat. Erat enim vir ingenii timidissimi & pacem impensissimè amantis, eo præterea loco constitutus, ubi cÿpto-Calvinianis prorsus immerfus expedire se è vinculis haud facile posset. Tandem tamen, vel metus exiliï, quod, quantum in se est, credibile reddere *Rod. Hospinianus*, Parte altera Historiæ Sacramentariæ, p. 504. s. fatagit, vel potius indolis bonitas & veritatis virtus, quod nonnullæ in hoc opere epistolæ, ea inprimis, quam ad Pastorem Kittingensem, Anno 1560. dedit, adeoque integro ante anno, quam metu correptus Dresdam cum Majore & Crell. abiret, arguere videntur, ingenuam & piam de Cœnâ Confessionem, anno 63. publicæ luci expositam, viro expresserunt. Quamquam enim in illa insolens distinctio inter indignos, cœna utentes, plurimos offenderit, ut collatione instituta, & Sacramentariismo suo pag. 395. s. inserta, *Jo. Wigandus* ostendit, DEO tamen plerique egerunt

tunt gratias, quod ex argumentis rationis eluctatus, id quod ipsemet semel atque iterum in libello suo haud obscure fatetur, Deo gloriam confessionis tribuerit. Ut adèd mirum non sit, hanc Eberi in melius mutationem molestissimo animo ferre *Hospinianum*, qui idèd eidem nescio quod odium piorum & doctorum virorum, & quod à Peucero multos bonos viros, nulla laceffit culpa, abalienaverit, immò principes in eum concitaverit, acerbissimis verbis objectat, & ne convitium desit, vix mori potuisse, accersito ad se Peucero, pœnitentia ductum, vana imaginatione somniat.

Eberi imaginem æri incisam, cum operum ab ipso editorum indice, Part. III. Icon. XXXIX. inseruit Jo. Jac. Boissardus.

## XIII.

## ERASMUS SARCERIUS.

**N**atus ex honestis Parentibus, Annæbergæ Misniæ oppido. 1501.  
 Institutus primum Fribergæ, tum Lipsiæ & VVittebergæ; Lubecam vocatur, ad regendum ibi ludum literarium, ubi & Dialecticam atque Rhetoricen edidit. Exin Rostochiensem, tum Viennensem, porro Graciensem Scholam moderabatur, denique Lubecensem iterum. Donec Nassovicarum Ecclesiarum inspectionem susciperet: à quâ tamen ob Interim discessit. 1548.  
 Ex quo Ecclesiæ ministrum primum Lipsiæ, deinde Islebiæ egit, ex quo loco ad colloquium VVormatiense profectus est. 1557.  
 Ad regimen Ecclesiæ Magdeburgensis vocatus, quatuor tantum ibi concionibus habitis ex calculo moritur 1559.  
 18. Nov. . . . . i. 3. De eo

De eo Jo. Lauterbachius :

*Qui geris à sancto, Sarceri, nomen amore,  
 Non equidem frustra nomen Erasmus habes.  
 Religionis honos, artes, vitæque decorum,  
 Radices ut agant spe meliore suas,  
 Das operam sancto mentem percussus amore,  
 Dum calamo, vivâ dum sacra voce colis.  
 Ingenij calamo qua non monumenta relinquis,  
 Ut sarta, ut maneat gloria tecta DEI?  
 Qua non suggesto facundus ab ore Pericles,  
 Qua decet, ut faciat, munia quisque doces?  
 Religionis honos, artes, vitæque decorum,  
 Ut Christo, fructu divite, regna parent.*

Imaginem repræsentat Sarceri & scripta bono publico edita recenset, Parte  
 Tertâ Icon. XVI. Jo. Jac. Boissardus.

## XIV.

## JOANNES STIGELIUS.

**N**atus Gothæ in Thuringiâ. . . . . 1515.  
 Positis in ludo patrio fundamentis, studia Lipsiæ &  
 VVittebergæ excoluit: ad Smalcaldensem quoque  
 conventum accedens Eobano Hessô carissimus fuit. 1537.  
 Poëticam in VVittebergenfi primum, Melanthoni fa-  
 miliaris, dein Jenensi Academiâ profitetur, pauperem  
 ubique expertus fortunam; rebus verò humanis ex-  
 emptus est ii. Febr. . . . . 1562.

Non possum, quin pulcerrimum carmen adscribam, à Ge-  
 orgio Cracovio in laudem ejus compositum, quod ita habet:

*Quis*

Quisquis ad hunc tumulum venies, subsiste, viator!  
 Hoc Musa vatem composuere suum.  
 Stigelium vatem, quo dulcia plectra movente,  
 Obstupuit posita Delius ipse lyra.  
 Natura nam dona sua provexit ab arte,  
 Ut par Virgilio: sic tibi, Naso, fuit.  
 Dicere si liceat, forsitan quoque major utroque,  
 Pro Phæbo in cuius carmine Christus erat.  
 Carminis hinc spirans cum majestate nitorem,  
 Fundebat grandi verba ligata sono.  
 Ingenio similis quaesita est gloria paucis:  
 Illius in plausus docta theatra sonant.  
 Illi ceu primo florens data laurea vatium  
 Est manibus, Caesar, Carole quinte, Tuis.  
 Laudibus eximii & prater carminis usum  
 Praditus ingenio, consilioque fuit.  
 Et gravis & justus, nec castis moribus orbis,  
 In Christi laudes ambitiosus erat.  
 Ergo licet parva claudatur corpus in urna,  
 Alta tamen vivax fama per astra volat.  
 Salve, chare DEO vates, cui grata canebas,  
 Cui plenum Aonio flumine pectus erat.  
 Tu nunc Lotichio junctus, doctoque Sabino,  
 Quos rapuit spatio Parca severa brevi.  
 Quosque pater vatium praecessit morte Philippus,  
 Cui gaudes caelo proximus esse comes.  
 Ergo omnis cura expertes, vitaeque laboris,  
 Fingitis aeterno carmina grata DEO.  
 Illic livor abest omnis, rabiesque malorum.  
 Non superest justis post sua fata labor.



## NICOLAUS GALLUS.

- N**atus Cotæ in Saxoniâ. 1516.  
 Eruditus VVittebergæ per integrum decennium in  
 disciplinâ Lutheri atque Philippi, Mansfeldensi scholæ  
 præfectus, postea Ratisbonensibus à Luthero Evan-  
 gelicum verbi ministrum petentibus, hic ipsis Gallus,  
 cum Hieronymo Nopo, missus est. 1542.  
 Pulsus hic ob religionem Interimisticam VVittebergam  
 redit, ibique aliquandiu in templo arcis Casp. Cru-  
 cigeri vices agit, cumque Flacio Illyrico amicitiam  
 contrahit: postea Magdeburgi Nicolao Glosseno  
 succedit., 1550.  
 Ratisbonam post pacem Passaviensem revocatus, vici-  
 nas quoque Ecclesias in Austria & Stiriâ emendat. 1552.  
 Moritur A. D. 1570.

## MATTHIAS FLACIUS ILLYRICUS.

- N**atus Albonæ Illyrici sive Sclavoniæ oppido, Patre  
 Andréâ Flacio & Jacobeâ Luciâ, 3. Martii. 1520.  
 Primum à Patre, deinde à Fr. Ascerio informatus, tum  
 Venetiis à Jo. Bapt. Egnatio, Basileam venit in con-  
 victum & Scholam Sim. Grynæi. 1539.  
 Exin Tubingan, ubi præceptore utitur Matthiâ Gar-  
 bicio, eodem anno; Tum VVittebergam, ubi Lu-  
 therum, Melanthon. & VVinshemium audit, & gra-  
 vibus de peccato & irâ DEI tentationibus vexatus,  
 publicis precibus liberatur. 1541.  
 Uxorem

- Uxorem VVittebergæ & publicum docendi munus  
consequitur. . . . . 1544.
- Orto bello Germanico Brunsvigam abit, ibique famam  
nominis suilatè disseminat. Composito bello VVit-  
tebergam redit, ubi cum occasionem libelli Ierimi-  
stici Melanthon in adiaphoris remittendum aliquid  
esse statueret, is cum Theol. Lubec. Hamb. Lüneb.  
Magdeb. sese opponit magno nisu. . . . . 1549.
- Cum Gallo Magdeburgum abit, contra Pontificios &  
Adiaphoristas, itemque contra Osiandrum & Svenc-  
feldium scribit: ipseque cum Gallo, VVigando &  
Judice centurias Magdeburgenses componit. . . . . 1550. f.
- Jenam ad novam scholam exornandam evocatur. . . . . 1557.
- Orto inter illum & Vict. Strigelium de Libero Arbitrio  
dissidio, Ratisbonam discedit, ibique varia scripta edit. . . . . 1562.
- Cum Antvverpiæ Evangelio porta aperiretur, ipse eò  
vocatus abit, cum Spangenbergio, Vorstio, Ha-  
melmanno. . . . . 1567.
- Cum paulo post omnia abolerentur, Argentoratum  
primò, dein Francofurtum secedit, Notas in N. T.  
edit, & ob rixas de peccati originalis substantiâ suis-  
met exosus redditur. . . . . 1568.
- Fatis concedit II. Martii. . . . . 1575.

Immortalem nominis gloriam adeptus est Flacius, edito  
Centuriarum Magdeburgensium stupendo opere, non sine sin-  
gulari Divinâ providentiâ, animos adgubernante, conscripto,  
quale nunquam antea sperare licuit. In quo præcipuas ejus fu-  
isse præ cæteris partes, dubitari non debet. Sed & in reliquâ li-  
teratura, Philosophica, Philologica, Theologica, quantus vir fue-  
rit, quantumque Ecclesiæ cursum utilissimis scriptis promove-  
rit, nec virulentissimi viri hostes dissimulare possunt. Loquitur  
Scripturæ Clavis, testatur Novi Testamenti expositio, clamat ca-  
talogus

talogus testium veritatis, operaque alia. Invidiam odiumque viro duo conflagrant: studium veritatis pertinax atque inimicis vel in adiaphoris cedere nescium, & insolens de natura peccati originalis substantiali opinio. Quæ duæ quasi maculæ hunc solem non leviter obscurare plerisque visæ sunt. *Jac. Aug. Thuanus*, historiarum sexagesimo primo: eodem serè tempore, inquit, & *Matthias Flacius Illyricus*, summus inter Protestantes Pontificiæ auctoritatis oppugnator & ob eandem vehementiam *Philippo Melanthoni*, Praeceptoris olim suo, non satis æquus, post acerbas & sæpius repetitas inter Augustana confessionis socios contentiones, potius laboribus quam senio confectus, satis concessit. *Lucas Osiander*, Cent. XVI. lib. III. c. LXXIV.. *Matthias Flacius Illyricus*, Theologus. Hic tempore Interimistico Ecclesie Christi bonam & fidelem operam, contra Papatum pugnando, navavit. Postea verò in errorem prolapsus, sermone & scriptis contendit, peccatum originis in homine non esse accidens, sed ipsam hominis substantiam, nec ab eo errore usque ad mortem suam deduci se passus est, sed & alios quosdam Theologos, (inter quos nempe præcipuus fuerat *Cyriacus Spangenbergius*) in hunc errorem induxit. Theologi Helmstadienses in der Gründlichen Widerlegung eines Unwarhafften Gedichts / Part. II. cap. V. S. XIX. Als Herr Lutherus mit sonderbahrem Eyffer so thannen und dergleichen Irthumen der Schullehrer sich widersetzet und vielfaltig darwider disputirt / hat sichs nach dessen Seel. Hintritt begeben / daß *Matthias Flacius Illyricus*, sonst in Græcis & Hebraicis literis, auch der H. Schrift und Historiâ Ecclesiasticâ ein fast gelarter Mann / dem Ding zu viel gethan / und der Manicheer Schwermerey hinwiederumb erneuert / also daß er dafür gehalten / es wäre durch den Fall *Adâ* nicht allein die Sünde in die Welt kommen / der Mensch und dessen Natur durch die selbige greulich verunreiniget / zerüttet und verderbt / sondern auch der Mensch selbst und dessen substanz / Natur und Wesen zur Sünde worden. Negaritamē nequit, tantum tamque internecinum odium, quo in ipsum,

dum.

dum viveret, saxitum, & nec cineribus ejus post mortem parci-  
 tum est, virum tot laboribus Ecclesiæ utilem non promeruisse.  
 Nam quæ de usu rerum adiaphorarum adversus Melanthonem  
 disputavit, culpâ ad eum carent, ut si sine illis fuisset, plurimæ eæ-  
 que florentissimæ Ecclesiæ in pristinas Papatus tenebras extra  
 omne dubium recidissent. Quare & sententia ipsius contra Præ-  
 ceptorem defensa in Formula Concordiæ fuit approbata. Quod  
 adeo verum est, ut nec Calviniani, qui tamen ob incorruptum  
 veritatis studium Flacianorum invidioso nomine nos ubique ho-  
 dienum infamant, dissiteantur, quamquam bonam causam Fla-  
 cium non satis benè, id est, irreverenter habito magni Germaniæ  
 Doctoris nomine, quod nec ego inficiari volo, egisse conten-  
 dant. *D. Jo. Hornbeckius*, summæ Controversiarum, lib. IX. p.  
 680. in recentiori editione: *Flacius*, ait, *ex precipuis fuit Melan-*  
*thonis & Wittebergensium, in contentione decennali de adiaphorâ,*  
*adversarius. Ubi si rem ipsam solum spectassent, non improbandum*  
*erat, quod remissiori de adiaphorâ, quæ prætendi vulgò talia solent,*  
*non haberi, & revera pons sunt, per quem Papiasmus reduci queat,*  
*sententia se opponerent, nisi pro inconsideratâ suâ vehementiâ à re ad*  
*personam pergentes, studuissent hoc pacto virum optimum, Philipp. Me-*  
*lanthonem, collegasq; & socios, seivum in modum opprimere & perdere.*  
 Quod verò disputationem de peccato originali concernit, non  
 defuerunt, nec hodie defunt, inter gravissimos Ecclesiæ nostræ  
 Doctores, qui rectius eundem sensisse, quam locutum fuisse con-  
 tendant. Quo pacto id tantum reprehensione dignum erit, quod  
 toties admonitus, loquendi modos, in Ecclesiâ non receptos, &  
 ad decipiendum comparatos, non abjicere, sed defensiunculis  
 suis, toties totiesque iteratis, turbare Ecclesiam & inimicitiam  
 omnium in sese consciscere, quam dignâ Theologo moderatio-  
 ne salutari concordia incumbere maluerit. Non possum, quin  
 adscribam verba viri & Præceptoris mei incomparabilis, *D. Seb.*  
*Schmidij*, Theologi Argentinensis, quæ, licet prolixiora, ex Di-  
 sputatione de Peccato originis posteriori, e. 5. decerpo. *Mani-*  
*shais*

chais se annumerari agerrimè tulit Matthias Flacius Illyricus, *cujus sententiam quando B. Meisnerus expendit, Anthropol. disp. 6. nonnullos ait inter verba & mentem Flacij distinxisse, eumque malè quidem locutum, non autem ita malè sensisse arbitratos esse, productis simul eorum rationibus, ipse, num eum ab errore penitus liberent, judicium aliis committit. Quod nos cum ipso facimus. Equidem nonnunquam, cum Flacij verba & in reliquis fidei articulis mentem legimus, & expendimus, in mentem nobis venit, virum istum doctissimum quaestionem nominis disputationi seria & necessaria immiscuisse, & per istam gravissimum scandalum atque adeo schisma Ecclesiae DEI concitasse. Quari posset, (si hoc supponeretur, tanquam per se certum & manifestum, quod substantia hominis, de re, quae est, physicè loquendo, non sit peccatum, nec mala, sed bona DEI creatura, nec vitium, natura seu substantia hominis physicè inherens, sit ipsa substantia, sed prava qualitas) annon in foro Theologico, & juxta legem Divinam moralem, substantia hominis corrupta, h. e. cum vitio suo sumpta, peccatum dici debeat, sic, ut substantia hominis peccati sit materiale, vitium autem ei inherens sit formale? Quà ratione substantia hominis esset peccatum, ut loquuntur, materialiter, vitium verò ejus peccatum formaliter. Ubi res declarari posset exemplo actualium peccatorum, ex. gr. homicidij, quod est gravissimum peccatum. Ipse tamen aëus physicus per se peccatum nullo modo est, cum sit res natura à DEO condita; sed peccati tantum materiale est, sive materialiter peccatum, quod <sup>in natura</sup> cum lege pugnantia substernitur. Hac verò <sup>in natura</sup> est formale homicidij, sive peccatum formaliter sumptum. Utrumque autem simul acceptum, sive conjunctum, peccatum actuale appellatur. Sic forte Flacius existimavit, substantiam hominis esse ipsum peccatum originale, non quod per hoc, quod substantia sit, peccatum sit, sive peccatum sit formaliter dictum, sed quod peccati originalis materiale sit, vitiumque ejus formale; atque adeo substantia cum vitio suo sumpta peccatum originale dicenda sit: quomodo è contrario, si substantia hominis incorrupta sit, ornata justitia & sanctitate, justitia per legem Divinam*

dici

dici queat. *Videri posset, hoc ipsum voluisse, cum toties protestatus est, se substantiam hominis considerare non physicè, sed Theologicè. Hoc, inquam, est, quod in mentem nonnunquam venit, sed certi quid affirmare non audemus. Si quis tamen hoc supponat & Flacium ita sentientem faciat, forte minori cum impedimento & offensione libros ejus utilissimos quoad cetera evolvet, negligendo ea, quae de originis peccato, quod substantia hominis sit, disputat, tanquam ubi questio tantum sit de nomine. Alioqui ipsum Flacium & Flacianos quod attinet, certum firmumque maneat, à nostratibus rectissimè refutatos & repudiatos fuisse. Quantum enim, DEUS bone! in Ecclesia DEI, isto inprimis tempore periculoso, & scandalum & damnum datum est? Præterea homines isti tam pertinaciter reliquos omnes condemnarunt, tamque contentiosè disputarunt, ut saluti Ecclesiae consulendum fuerit. Et quis dubitet, si utique Flacius dicto modo sensisset, quin suppliciores, mentem ipsius apprehendere non valentes, Manichæismum aliquem conceperint? Quare optimè atque sanctè fecit Formula nostra Concordia, quae contra Manichæismum egregiè disputavit & ab eo omnes pios dehortata est. Cum itaque Theologi, vel excellentissimæ eruditionis, qua pollebat Flacius, intuitu, vel ex veneratione tantorum in Ecclesiam meritorem, tam crassè sentire de peccato originali Flacium, credere vel non poterant, vel nolabant, mirum non est, si ex orthodoxis quoque fuerunt, quales & in epistolis nostris subinde comparent, (v. Part. IV. 4.) qui excusare eundem, quamdiu per Christianam charitatem fieri poterat, quam condemnare atro calculo nondum satis auditum, & ludibrio hostium Ecclesiae profuturum virum malebant, qui rem veræ Ecclesiae, tam cordatè, tam fortiter, tam feliciter, qualiter vix unquam alius, egisset.*

Imaginem Flacii, & designationem operum ab ipso editorum, deprehendis apud Joannem Jac. Boissardum, parte tertiâ Icon. XXXVIII.

## JOANNES BRENTIUS.

- N**atus VVilæ in Sueviâ, Patre Martino Brentio oppidi  
pratore & Matre Catharinâ Henichiâ, die Johanni  
Bapt. Sacr. 1499.
- Vahingæ, Præceptore Jo. Schmidlino, literis initiatus  
Heidelbergâ concedit & lauream primam consequitur. 1514.
- Præceptoribus usus Billicano, Knellero, Oecolampa-  
dio, Scheibehardio, Nigrino, æqualibus Melanthonè,  
Bucero, Snepffio, Frechto, noctes diesque infomnes  
ducit, *argutus* sibi malum attrahens, Magisterii titulum  
consecutus & lector Contubernii constitutus, varios  
auctores profitendo exponit. 1517.
- Heidelbergæ Lutherum audit, atque ex ejus scriptis  
tantum proficit, ut cum magnâ nominis sui gloriâ  
Theologicas lectiones haberet. Halam Svevorum  
in Ecclesiæ ministerium vocatur. 1522.
- Ad colloquium Marpurgense venit. 1529.
- Ad comitia Augustana. 1530.
- Uxorem ducit Margaretham Greterinam, ex quâ tres  
superstites vidit liberos, Sophiam, D. Eberh. Bide-  
bachio; Barbaram, D. Theod. Snepffio nuptam: &  
Joannem Theologiæ in Acad. Tub. Profess. 1531.
- Tubingensem Academiam, impetrata annua ejus opera,  
jussu Ulrici Ducis VVürtenb. una cum Camerario,  
Fuchfio & aliis, reformat. 1536.
- Colloquiis dereligionè interest Hagenoæ, VVormatiæ,  
Ratisbonæ. 1540. f.
- Expetitur ab Ulrico in Professore Tubing. in locum  
Constant. Phrygion. Sed ab Hallensibus non dimittitur. 1543.
- A victoribus Hispanis, domum ejus invadentibus, omni-  
bus facultatibus exiit, & habitu peregrino, relictis

uxore

- uxore & liberis aufugit; Cæsare digresso redit & officium facit. 1547.
- Cum librum Interimisticum repudiaret, ad necem ab Hispanis quæsitus, mirabili DEI providentiâ evadit, eumque occultrat Ulricus VVürtenb. 1548.
- Postea Basileæ aliquandiu latet. Iterumque, specie præfecti, & ficto nomine **Heldreich Engster** in Sylvâ Hercyniâ, loco VVürtenb. Expeditur interea à Magdeburg. à Rege Angliæ & Alberto Brandeb. Sed protractus in lucem à Christophoro VVürtenb. Ecclesiæ ejus instaurat, confessionemque in Synodo Tridentinâ offerendam componit. 1550. f.
- Secundas nuptias contrahit cum Catharinâ Isenmanna, exque ea 12. suscipit liberos. 1551.
- Ad Synodum Tridentinam ablegatur, sed non auditur. 1552.
- Fit Præpositus Ecclesiæ Stutgard. 1553.
- VVormatiensi Colloquio interest. 1557.
- Itemque colloquio ad Tabernas Alsaticas, sub idem tempus.
- Moritur ex febre & Apoplexia ii. Septembr. 1570.

Hunc virum, quo majore ornare elogio possumus, quam quod eidem magnæ Ecclesiæ Elias, Lutherus impertiit, quodque in præfatione ad opera Brentiana Theologi VVürtenbergici producunt & laudant? *Non adulator, scribit ille ad Brentium, neque fingo, sed neque ludo neque fallor. Non Brentium, sed spiritum prædico, qui in te suavior, placidior, quietior est. Deinde dicendi artibus instructus, purius, luculentius & nitidius fluit; itaque magis afficit & delectat. Meus verò, præterquam quod artibus dicendi imperitus & incultus, nihil nisi sylvam & chaos verborum evomit; tum etiam eo fato agitur, ut turbulentus & impetuosus & veluti luctator cum monstris infinitis semper congregari cogatur. Itaque si parvis licet componere magna, mihi de quadruplici spiritu*  
Eliæ



*Elie ventus, motus & ignis, qui montes subvertit & petras conterit, tibi autem & tui similibus sibilus ille blandus, aura tenuis, qui refrigeret, obtigit. Nec Thuanus hunc tantum virum silet, Libro XXXV. Haud multò post Johannes Brentius, Wila, Imperiali Suevia oppido natus, magni nominis inter suos Theologus, diuque ob id variâ fortunâ jaçtatus, Stutgardia in Agro Würtebergico, septuagenario major, fati concessit.*

Imaginem exhibet & scriptorum catalogum Jo. Jac. Boiffardus, Paræ quartâ lc. XV.

## XVIII.

## JUSTUS MENIUS.

**N**atus Fuldæ in Buchonia, 13. Decembr. 1499.

Literis imbutus VVittebergæ; ex commendatione Philippi Melanth. Gothanæ Ecclesiæ inservit, ubi hostibus suis cedens Lipsiæ ætate ingravescente per annum amplius integrum conciones habet: mortalitatem ibidem exiit, 11. August. 1558.

Reliquit Filium Eusebium, Philosophiæ VVittebergæ Professore.

## XIX.

## LUDOVICUS RABUS.

**N**atus Memmingæ in Suevia, alias Günset dictus. 1524.

Literas ediscit in patria, excolit Tubingæ, testimonium ibi publicum adeptus. Argentorati in pastoratu summi templi Zellio succedit. 1544.

Saluta-

- Salutatur Theologiæ Doctor, Tubingæ, una cum D.  
Jac. Andr. 1553.  
Inspector sit Collegii VVilhelmitani, post mortem He-  
dionis. 1553.  
Ulmam vocatur, ad reformandam Ecclesiam & munus  
Superintendentis obeundum. 1556  
Relinquit filium Johannem Jacobum, ad Pontificiorum  
castra transfugam, cujus contra Parentem scripta re-  
futavit D. Vappus, ut videre est ex Epistolâ Part. IV. 37.  
Moritur.

*de hoc refer. Et. Hasenmüller's Hist. Jesuitic. 1572.  
Ordo p. m. 425. cap. 21.*

XX.

## MARTINUS CHEMNITIUS.

- N**atus Brizæ, veteris Marchiæ oppido, parentibus  
honestis, sed tenui sorte. 1522.  
Fundamentâ literarum partim in patria, partim Magde-  
burgi jacit. Philosophiæ studia Francof. ad Oder.  
Præceptore Georgio Sabino amplexus, VVittebergæ,  
inprimis sub Melanthane, absolvit. Regiomonte in  
Borussia Scholæ præfectus, Philosophiæ magister crea-  
tur, Bibliothecæ Principis præpositus. 1552.  
VVittebergam regresso commendata Locorum com-  
munium lectio. 1555.  
Brunsvigam vocatur primò ad Adjuncturam, dein ad  
plenariam Ecclesiæ curam, expetitus frustra à Rege  
Daniæ, ab Electoribus Palatino, Saxone, Brandebur-  
gico: à Principibus item Joanne Brandenb. Alberto  
Boruss. Julio Brunsvic. ab ordinibus Austriæ & Re-  
busp. quibusdam.

Moritur 8. April. 1586.

I

Martii

Martinus Chemnitius Theologorum post Martinum Lutherum non immeritò maximus salutatur. In eo viro mira methodi facilitas, in locorum præcipuè Theologicorum concinnatione demonstrata. Profunda interpretandi S. Literas eruditio, ex Harmonia Evangelistarum (quo in opere cæteris omnibus in eodem labore occupatis palmam præripuit) cum primis elucescens. Stupenda totius antiquitatis cognitio, in examine Concilii Tridentini diffusa. Singulare controversias difficiliorens enodandi & explicandi artificium, in libris de Duabus in Christo naturis & de Fundamentis præsentia Christi in S. Coenâ ostensum. Verè de eo Georgius Calaminus :

*Magnum terra virum, magni post fata Lutheri,  
Si quem felici Teutonis orbe tulit:  
Certè Chemnitius fuit is; monumenta librorum,  
Hercule vel dignus quod labor ille probat.  
Impia dum Latia decreta examinat Hydra,  
Fæta Tridentino qua parit illa solo.  
Enthea fiderei tutans & jura senatus,  
Pugnando Christi pro grege victor ovat.  
Et benè habet, monstrum vires quodcunque resumat,  
Pestis Chemnitium vincere nulla potest.  
Ecquis erit semper Martinus in arma paratus?  
Alcidenque dabunt sæcula quæque suum.*

Hujus tanti viri eruditio ipsismet adversariis admirationi in tantum fuit, ut *Gasmarius* in ejus vita prodat, Cardinalem quendam Tridenti ad Legatum Erici, Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis, dixisse: *neminem inter Germania Theologos hætenus fuisse, qui Ecclesia Romana post Lutheri obitum plus nocuerit, quam Chemnitius scripto Examine Concilij Tridentini.* Hoc se ingenuè confiteri, virum se admirari, ei se eruditionis palmam præ omnibus Theologis Germania tribuere, nihilque magis optare, quam ut illum videre aliquando & cum ipso de toto religionis negotio conferre possit. Non tamca

suo Apologeticum, à M. Friderico Petri, A. 1585. in lucem editum, Praefatione ornatum, hac memorabili confessione, velut extremae voluntatis testamento, obsignaverit: *Ad me quod attinet, ne quid mihi mortuo suo more affingant, hac praefatione, (quam in Archivis ministerij mei deposui) coram Ecclesiâ DEI testatum volo, me in eâ simplicitate, qua annis jam triginta sententiam meam de articulis inter Sacramentarios & nos controversis & vivâ voce & scriptis exposui, ad extremum usque vita halitum per Domini gratiam perseveraturum, in eaque gloriosum Filij DEI adventum intrepide expectaturum esse; quem ut acceleret, & ita diuturnam ac tristissimam hanc de suâ personâ ac cœnâ controversiam dirimat, seris votis, miser ac imbecillus senex, ad ipsum ingemisco. Cumque multorum jam annorum usu didicerim, adversarios Zwinglianos mendacium posuisse spem suam & pertinaciter ac obstinatè contra veritatis stimulum calcitrare, omnem de ipsis, praesertim dogmatistis, jamdudum justissimo DEI judicio induratis, ad sanitatem revocandis spem abjicio: & proinde meam Ecclesiam, cui Dominus me praefecit, oro atque obtestor, & DEI loco etiam hortor ac moneo, ut juxta D. Pauli praeceptum, Tit. III. haeticos hosce homines, non semel, sed millies, non ab hominibus tantum, sed ab ipso etiam DEO, multis tragicis dogmatistarum exemplis admonitos, tanquam subversos & proprio judicio damnatos, devitent, & à venenatis ipsorum libris, auctoritate pij magistratus sui prohibitis, caveant atque abstineant. Quod postremum meum consilium, ab animo optimo atque paterno profectum, si alia quoq; Ecclesia & magistratus sequantur, & Zwinglianos dogmatistas, tanquam cornupetas bestias, & homines in majestatem Filij DEI blasphemos, à suis finibus arceant, absque omni dubio Ecclesias & Scholas atque respublicas, de quibus turbandis isti homines dies noctesque cogitant, perpetuò benè constitutas atque florentes habebunt. Videbitur forte quibusdam, praecipuè politicis viris, hoc meum consilium aliquanto durius, & à solitâ moderatione meâ, cui per omnem vitam studui, alienius: sed coram ipso Domino testor, adversarios Zwinglianos nunc eò processisse audacia.*

*aque*

atque blasphemie, ut, nisi pij magistratus auctoritate reprimantur, secta illa, (quod Philippus Melanthon in libello de sententiâ veterum patrum vaticinatus est) tristissimam toti Germania ruinam allatura & tandem Turcicam atque Mahumeticam impietatem attractura sit. Quod ut ipse Filius DEI, cujus majestatem Zwingliani superbè conculcant, glorioso suo adventu impediatur, & ab insidiosis conciliationum technis, quas dogmatistæ veneni sui disseminandi gratiâ passim instituunt, Ecclesiam suam conservet, toto pectore ipsum oro atque obtestor. Brunsviga: Anno 1584. Cal. Septembr.

### Martinus Chemnitius, D. Superintendens.

Imaginem Chemnitii, quem J. G. Dorschæus, Dissertatione de reâ etâ studii Theologici conformatione, Theologum accuratissimum & planè incomparabilem; D. Georg. Calixtus, Tractatu de Baptismo, S. 19. virum merito suo magnum; D. Jo. Mufæus, libro exactissimo de usu principiorum rationis, p. 507. Theologum de Ecclesiâ Christi meritissimum, vocant, cum operum ab ipso scriptorum syllabo exhibet parte IV. Jc. VIII. Jo. Jacob. Boissardus, Nec reticendum est incorruptum Jac. Aug. Thuani judicium, lib. LXXXIV. Hist. f. f. Abstulit hic annus, qui fuit illi climactericus, Martinum Chemnitium, Brizæ, cui fideli cognomentum, in Vandaliâ natum, qui literas primas sub Philippo Melanthon & Georg. Sabino Witeberga & Francofurti ad Oderam imbuir, dein se totum Theologicis studiis mancipavit, in quibus assiduo labore tantum profecit, ut post Philippi Præceptoris obitum Theologorum Aug. Conf. facile princeps inter suos habitus sit: à Friderico II. Daviæ Rege, Ludovico Palatino, Augusto Saxonia, Jo. Georgio Brandenburgico, Septemviro, Julio Brunsvico, aliisque principibus ac civitatibus & ordinibus, huic doctrina addictis, in consilium super Ecclesiasticis negotiis semper adhibitus, aut absens consultus. Tandem Brunsvica, in quâ XXX. totos annos docuit, tot laboribus defunctus ac scriptis multis editis, VI. Id. April. debitum naturæ persolvit.

XXI.

### ERASMUS A VENNINGEN.

M. Dav. Pistorius, in Conc. Funebri Ottoni Henrico, Erasmi F. à Venningen habitâ, hæc de eo habet:

1. 3

HERZ

Herr Erasmus von Benningen / zu Künspach und Neidenstein. Ein sonderlich Gottesfürchtiger / erfahrner vom Adel / in Gottes Wort trefflich wohl gegründet / so wegen seines hohen Verstandes und Kundigung vieler Sprachen / bey hohes und nidriges Standes Personen hoch und wehrt gehalten worden. Wie Er dann dem Weiland Durchleuchtigsten und Hochgebohrnen Fürsten und Herren / Herren **F R Z D E R Z E H E N** / PfalzGraffen bey Rhein / Chur. Fürsten / &c. Dises Nahmens dem Andern / in seinen fernem Reisen / sonderlich die Er in Spanien gethan / vor einen Marschalck ; hernacher zu Heidelberg vor einen Hoff. Richter / und dann zu Brettheim vor einen Jaut / gedienet. Auff welches Er durch sonderliche Schückung Gottes in das löbliche Herzogthum Württemberg zu einem Geheimen Rhat und Mit. Regenten des Landes beruffen / wegen seines Verstandes / Fleiß und Treu / bey damahlen noch minderjährtigen Herrschafft in großem Ansehen und Ehren gehalten / auch sechlich in seinem alter umb mehrer Ruhe willen auff das vornehme Ampt Neuenbürg versetzt worden / da Er nach vieler aufgestandener Mühe und Arbeit endlich in seinem Heiland Christo verstorben.

D. Dav. Chytræus, Orat. continente descriptionem regionis Greichgææ, ad Neccarum sitæ, familias nobiliores, Menzingensem, Gemmingensem, aliasque recensens: *apud inlytum Electorem Palatinum Rheni, ait, omnibus controversiis forensibus, qua in aula disceptantur, Judex Principis loco praefectus est, ERASMUS A VENNINGEN, quam functionem singulari cum laude gravitatis, sapientiae, aequitatis & in omni officio diligentiae & fidei administrat.*

XXII. Jo.

## XXII.

## JO. UNGNAD, BAR. A SONNEK.

Natus in Stiriâ 19. Nov. 1496.

De isto Jac Aug. Thuanus, Historiarum libro XXXVI. hæc habet: *Extremo anno Joannes Ungnadius Sennekius, vir & natalium splendore & virtute propriâ clarus, jam atate gravis, satis concessit, in Vintriciâ, Suevia arce, & inde Tubingam translatus atque ita, jubente Christophoro Württembergico, prope Ulrici parentis sepulcrum conditus. Is cum antea Stiria & Carinthia sub Ferdinando præfuisset, religionis causâ patriam reliquit & oblata à Christophoro Württembergico hospitio usus, aliquandiu Uraci substitit. Ubi cum incredibili propaganda religionis desiderio arderet, immensis quoque sumptibus Biblia sacra & Theologorum aliquot scripta in linguam Turcicam & Croaticam converti, & ad gentes illarum linguarum peritas transferri curavit; laudabili sanè & digno, quod ad posteritatem transmittatur, pietatis exemplo, quodque principes, & qui majoribus opibus subnixi sunt, deinceps imitentur.*

Matrimonium contraxit cum Magdalenâ, VVolfgangi, Comitæ Barbiensis Filiâ, nuptiæ celebratæ sunt Calend. Jul. 1556.

Militari etiam arte clarus & ideò aliquoties summus Christianorum dux contra Turcas electus.

Mortuus apud Affinem, Comitem Sliccium, VVinterricii in Boemiâ, 27. Dec. 1564.

Addo Cyriaci Spangenbergii in Chronico Sax. ad hunc annum verba: *Ist ein grosser Liebhaber Christlicher Lehrer und Prediger / und ein fleissiger andächtiger Zuhörer des Göttlichen Worts gewesen. Hat sich hart bemühet / ob Er könnte helfen Mittel und Wege finden / die beschwehrlichen Religions Streiten zwischen denen / so sich von allen Theilen zur Augsp. Conf. bekennen*

bekennen / aufzuheben und hin zulegen. Derohalben Er auch  
 viel reysens gehabt. So hat Er auch grossen Fleiß und nicht  
 geringe Unkosten angewant / auch die Kayf. Maj. die Chur-  
 Fürsten zu Sachsen / die Herzogen zu Württemberg und Preuss-  
 sen / 2c. darzu stattliche Steuer zu geben / angelangt und be-  
 wegt ; damit das Neue Testament / desgleichen die Augsp.  
 Confession , der Catechismus Lutheri , die Loci Communes  
 Philippi , Eine Postilla / und dergleichen Bücher / in Crabatische  
 Sprach gebracht und mit Cerulischen und Slagolischen Buch-  
 staben zu Linwingen getruckt worden. Darzu die treuen  
 Diener Gottes / Herr Primus Truber , Ein Crayner / Stephanus  
 Consul ein Oesterreicher / und Antonius Dalmata fleißig ge-  
 holffen. Und das darumb / das durch solche Arbeit den armen  
 Christen / und durch Gottes Gnade auch den Türcken in Strif-  
 fen und Bosnen / und anstossenden Landen / da die Crabatische  
 Sprache im Brauch / möchte gedienet / und sie zu wahrer Er-  
 kandnuß / Glauben und Religion dadurch gebracht werden.  
 Es hat wohlgedachter Herr Ungnad auch seine Christliche  
 Glaubens-Bekandnuß artlich / formlich und wohl gestalt / die  
 ich auch S. Gnd. kurz vor dero Tod wieder zugesand. Wäre  
 nützlich und gut / auß vielen Ursachen / das sie in Druck gege-  
 ben würde / wie dann solches auch sein Fürsatz und Meinung  
 gewesen / sie noch einmahl zu übersehen / und zu unterschreiben /  
 und mir wiederumb zuzustellen / damit sie nach seinem Abschied  
 andern einfältigen Christen / und sonderlich seinen Landesleu-  
 ten / den Kärndern und Steyern / die er auch darinnen / war-  
 umb er auß dem Lande entwichen / berichtet / und auß seiner  
 Widersacher Verleumdung antwortet / zu Nutz und Trost in  
 Druck gegeben werden möchte. Wie dann auch wohl solte  
 geschehen seyn / wann mir nach seinem seelichen Abschied / ver-  
 mög des letzten Schreibens und verlassens / das Exemplar wä-  
 re wiederumb zukommen und überschickt worden. Aber die  
 es billich hätten befördern sollen / habens nicht gethan.



## XXIII.

## TILEMANNUS HESSHUSIUS.

- N**atus Vefaliæ ad Rhenum. 1526.  
 Literis imbutus cum variis in locis variis muneribus  
 perfunctus fuisset, utpote Goflaræ, Rostochii, Mag-  
 deburgi, Jenæ, Neoburgi, Heidelbergæ Ecclesiæ Pa-  
 stor & Academiae Professor constituitur. Ortâ inter  
 ipsum & VVilh. Clebitium de Sacramento Cœnæ  
 dissensione, requisitâ Melanthonis sententia, tandem  
 ab Electore dimittitur. 1559.  
 Vefaliæ docens à Pontificiis ejicitur. vid. Ep. 62. Part. III. 1564.  
 Fit Aulicus concionator VVolfgangi Ducis Bipontini. 1565.  
 Postea & Jenæ & Regiomonte docet, ortoque inter  
 ipsum & VVigandum dissidio, cedere coactus, Helm-  
 stadium evocatur. 1576.  
 Quedlinburgensi colloquio ex parte Brunsvicensium  
 interest. 1583.  
 Multis contra Calvinianos aliosque polemicis scriptis  
 clarus finem vivendi facit, 15. Septembr. 1588.  
 Cui succedit Dan. Hoffmannus.

Vir fuit excellenti, sed vehementiori & inquieto ingenio,  
 quem *Wolfg. Kötterizius*, Ep. xci. Part. III. vocat *einen vortrefflichen  
 Mann in dem Predigen / schreiben und Reden*; Sed alibi ni-  
 mium animi fervorem non dissimulat. Quare de eo rectè *Sim.  
 Sulcerus*, Ep. XXXVI. Part. IV. judicat: *Optandum esset, ut  
 Hesshusij Zelus intempestivus spiritu mansuetudinis temperaretur,  
 & magis accommodarentur, qua habet vir ille, illustria dona ad  
 Ecclesiæ adificationem*. Quas ille post editam & ubique receptam,  
 immò à se quoque subscriptam, Concordiæ Formulam turbas  
 moverit, Hutteri Concordia Concors uberrimè edocet.

## JACOBUS RUNGIUS.

- N**atus in Pomeraniâ, 15. Jul. Anno. 1527.  
 Adeptus gradum in Theologiâ summum VVormatiensi colloquio interest, ut Pastor Gryphisvvaldenfis. 1557.  
 In Synodo Stetinenfi Generali cum M. Paulo à Rhodâ & D. Georg. Veneto Corpus doctrinæ Pomeran. conscribit, 1561.  
 Partim professionem in Academia Gryphisvvaldensi, partim inspectionem Ecclesiarum generalem Stargardiâ per annos 47. obit. Moritur anno ætatis 67. Calend. Jan. 1595.  
 Reliquit quinque Filios, in honoribus publicis constitutos: Joannem, Med. D. & Archiatrum Stetinensem; Jacobum, ararii publici magistrum; Fridericum, Th. D. Ernesti Ludovici, Ducis Pomeraniæ, concionatorem Aulicum, post Pastorem, Professore & Superintendentem Stetinensem; Daniele, U. J. D. & Prof. Gryphisvv. & Davidem, Theologiæ primum Gryphisvvaldiæ, deinde VVittebergæ Professore, scriptis clarum.

## XXV.

## BASILIUS MONNER.

- J**uris-Consultus, Tractatu de Matrimonio à se conscripto & edito notus: Obiit in Academiâ Jenensi, 16. Jan. 1566.

## XXVI.

## JOANNES WIGANDUS.

- N**atus, Patre Joanne VVigando, Hesso, Mansfeldiæ. 1523.  
 Eruditus primum in Scholâ patriâ, ad Academiam Witeber-

- VVittebergens. mittitur, ibique audit Lutherum, Melanthonem, Jonam, Crucigerum & VVinshemium : Exinde ad Scholam Laurentianam Noribergæ regendam vocatur. . . . . 1541.
- Redit VVittebergam ad studiorum cursum. . . . . 1544.
- Magistri titulum assumit & totum sese Theologiæ dicat. . . . . 1545.
- Exorto in Germaniâ bello Mansfeldæ in ministerium à Spangenbergio ordinatur. . . . . 1546.
- Ibi varia in lucem scripta edit, Interimistis cum ministerio Mansfeldensi, habitâ ibi Synodo, sese opponit, & Gallo Ratisbonam revocato, Ecclesiæ Magdeburgensis præfecturam suscipit. . . . . 1553.
- Ibi varios labores, in conficiendis imprimis Magdeburgensibus centuriis, exantlat; & ob eruditionis famam Jenam ad novam ibi Academiam exornandam vocatur. . . . . 1560.
- Orto inter VVigandum & Stosselium dissidio, functione suâ cum Flacio & Judice exuitur. Remigrans itaque Magdeburgum paulo post, vocantibus Ducibus Megap. in locum Frederi, ut Superintendens, VVismariæ sufficitur. . . . . 1562.
- Doctoris titulum assumit Rostochii. . . . . 1563.
- Jenam revocatur, ad instaurandam Academiam & colloquio Altenburgensi interest. . . . . 1568.
- Cum Duce VVilhelm. ad Comitiam Spirensiam abit & Jenam revertitur. . . . . 1570.
- Mortuo Jo. VVilhelmo ab electore jubetur intra quatuordecim dies ex territorio Saxonie discedere. Abit igitur Brunsvigam. . . . . 1573.
- Ad Professionem Academiae Regiom. vocatur eodem anno : in eademque biennio exacto Episcopus Pomezaniensis proclamatur. . . . . 1575.
- Moritur 21. Octobr. . . . . 1587.

VVigandi opera in lucem edita longo ordine recenset Melch. Adam. In vit. Theol. p. 616. s. Eum excellentem & sincerum Theologum vocat D. Luc. Osiand. Cent. XVI. lib. IV. c. XXXIV. Et Jac. Aug. Thuanus, lib. LXXXIIX. Hist. *Johannes Wigandus, magna doctrina inter Protestantis Theologus, qui Matthia Flacio in concinnandis Ecclesiastica historia centurijs operam olim navavit & postea Pomesanensis in Borussia Episcopus à Stephano Rege juxta pacta, cum Borussia Principibus & ordinibus inita, dictus est.*

## XXVII.

## JACOBUS ANDREAE.

**N**atus VVaiblingæ, VVürtenb. oppido, patre Jacobo **Endris** & matre Anna **Weisköpffin**: cumque parens faber ferrarius fuerit, ipsi in pueritia nomen habuit **Schmidlin**: natus verò 25. Martii.

1528.

Ope Erh. Schnepffii primùm Stutgardia deinde Tubingæ literis incumbit, primâ laureâ ornatus in monasterio Hirsaugiensi, quo ob pestem Academia secesserat.

1544.

Fit magister artium.

1545.

Diaconus Ecclesiæ Stutgardianæ ordinatur.

1546.

Ducit uxorem eodem anno Annam Entringensem, ex eademque octodecim suscipit liberos, novemque superstites.

Ob repudiatum Interim Tubingam secedit, ibique postea in Ecclesiæ Diaconum cooptatur.

1548.

Doctor Theologiæ renunciatur & in Pastorem atque Superintendentem Gœppingensem promovetur.

1553.

Ad reformationem Ecclesiarum Comitatus Oetingensis vocatur.

1555.

Ad reformationem Ecclesiarum comitatus Helffenstei-

nensis.

- nensis, quamquam deinde Comes ad Papatum relapsus fuerit. 1556.
- Ad reformationem Ecclesiarum Marchionatus Badensis, una cum D. Heerbrando. 1556.
- Rotenburgenfes Ecclesias, in ritibus dissidentes, emendat, eodem anno.
- Cum Duce Christophoro ad comitia Ratisbonensia, itemque ad conventum Francofurtensem abit. 1557.
- Colloquio VVormatiensi, ut notarius, interest. 1557.
- Contra Frid. Staphylum, apostatam, scribit. 1558.
- Ad conventum Augustanum, unâ cum Legatis politicis, mittitur, ut publicationi actorum colloquii VVormat. interesset. 1559.
- Ad instaurationem Ecclesiæ Lauinganae adhibetur à Duce VVolfg. 1560.
- Ad conventum Theologicum Erfordienssem abit. 1561.
- Ad colloquium Possiacenum in Gallia, cum Jac. Beurli-  
no & Balt. Bidembachio proficiscitur, sed priusquam  
advenissent, colloquium abruptum fuit. 1561.
- Colloquio Tabernis Alsaticis, auspiciis Caroli Lotharing. & Christoph. Ducis, habito, cum Brentio & Bidembach. interest. 1562.
- Fit Cancellarius & Præpositus Academiae Tubingensis: atque eodem anno Jenam in Thuringiam abiens, propositâ formulâ litem inter Flacium & Strigelium, qui nimium liberi arbitrii viribus tribuere videbatur, obortam componit. 1562.
- Argentoratum cum D. Sulcero vocatus, turbas ab Hier. Zanchio motas conciliat. 1563.
- Nobilem VVachendorfium cum Ecclesiâ sua convertit & reformat. 1564.
- Hagenoensem Ecclesiam reformat, eique pastorem dat Phil. Heerbrandum. 1565.

- E**slingæ, quorsum ob pestem Academia Tub. secesserat, petente magistratu, Ecclesiæ Pastorem agit per integrum annum, & Pontt. Calv. Anab. atq; Svencfeld. refutat. 1567.
- A**. Julio, Duce Brunsvicensi, rogatus, unâ cum Chemnitio, Ecclesias reformat, ordinatione Eccl. conscripta. 1568.
- A**d privatum colloquium cum Electore Palatino Heidelbergam accersitur. Atque postea Ecclesias Brunsvicenses, itemque, Saxonicas, & vicinas, in Daniam usque, peragrat, voluntates ministrorum de consensu in doctrina exploraturus. 1569.
- I**ter in Saxoniam & Misniam suscipit & vicinas regiones. Pragæ cum Imperatore Maximilano in colloquium venit, qui concordiæ in eo studium laudat. Synodo VVolfenbytelanæ & Conventui Servestano interest. Brunsvigæ Formulam quandam concordiæ inter Ecclesias Sax. & Suev. adornat, cui plurimi Saxoniarum Ecclesiarum ministri subscribunt, domumque redit. 1570.
- M**ompelgardum ad inspectionem Ecclesiarum bis abit. Intransitu Argentorati cum Flacio colloquitur, ejusq; errorem refutat. 1571.
- M**emmingæ cum Clebero, Calv. disputat, qui cum cedere veritati nollet, ab officio motus est. 1573.
- H**agenoensi Eccles. novum ministrum, Georg. Volcmarum, sistit; & Urbem postea Alenensem reformat. 1575.
- L**indaviæ cum Tob. Rupio, Flaciano, disputat, eumque refellit. 1575.
- A**pod Philippum Ludovic. Palatinum negotia quædam Eccles. expedit: & controversiam de excommunicatione, Ratisbonæ obortam, petente magistratu componit. 1576.
- A**b Electore Augusto ad concordiæ negotium perficiendum denuò avocatur. Conventui Theologorum

Torgæ

- Torgæ interest, cum Musculo, Cornero, Chemnitio, Chytræo, Selneccero. Liber scribitur, qui postea Bergæ recognoscitur. Mittitur ab Augusto ad Julium Brunsum, Ludov. Hassiac. Georg. Brandeb. Academiae VVitteb. Lips. & Jen. reformantur. Formulæ subscriptiones conquiruntur, labore quinquennii. 1576. f.
- Concordiæ Formulâ constituta & ab 8000. ministris subscripta, magna cum gratiæ & favoris contestatione ab Electore Augusto domum dimittitur. 1580.
- A VVolfgango, Comite Hoënloensi, ad Ecclesiastica negotia adhibetur. 1581.
- Alteram uxorem ducit, Reginam Prenzingerin. 1585.
- Orthodoxum consensum, à Calvinianis ita appellatum, refutat, publica autoritate jussus. 1583. f.
- In colloquio Montisbelgardensi cum D. Theod. Beza colloquitur. 1586.
- Nordlingæ controversias quasdam Ecclesiasticas componit. Cum febris diuturna conficitur. Ratisbonæ controversiam de usuris decedit. Onolsbachii causas Ecclesiasticas cognoscit & componit. 1587.
- Editis Colloquii Montisbelg. Actibus, Sam. Huberus Bernæ quasdam Bezæ assertiones, de inamissibilitate fidei, &c. refellere cœpit. Cæteris itaque ibi Theologis renitentibus, & Jac. Andreae mendacii arguentibus, (quod illa in actis illis Bezæ falso adscripsisset) jussu Principis cum consiliar. Politicis Bernam proficiscitur, in pleno Senatu de injuria, Principi suo & sibi illata, conqueritur, conventum petit, in quo <sup>veritas</sup> Bezæ cum editis actis conferrentur, quem à Senatu impetrat, sed refragantur & impediunt ubiq; Calvinianorum Theologi. 1588.
- Colloquio interest Badæ, cum Joanne Pistorio, Niddano, instituto. 1589.

Mori-

96  
 Moritur ex pleuritide, repetita prius publica confessio-  
 ne, 7. Jan.

1590.

De D. Jacobo Andrea, tria circumferri judicia, manifestum est. Primum Pontificiorum, Calvinianorum, aliorumque, quos, utpote à vera Ecclesiæ doctrina devios, vel voce vel calamo persecutus est. *Rodolphus Hospinianus*, parte altera Historiæ Sacramentariæ p. 664. magno studio & ingenti opera, quicquid ad denigrandum hunc virum facere poterat, exquisitissimè corrasit. Hic inquit, *ut presens historia, præterea multa resp. Ecclesiæ, Academia, ad hæc docti pariter & indocti testantur, infelicissimo quodam totius Germaniæ fato Theologus factus est. Fuit homo monstruosissimè audax & impudentissimè ambitiosus.* Refert deinceps, interdum summam summi Theologi gravitatem præ se tulisse, interdum summæ levitatis & scurrilitatis documenta dedisse. In Academia multis invitis & ipso longè doctioribus principatum sibi & venditasse & insolenter usurpasse. Exterarum Ecclesiarum, scholarum & rerum. *in negotiis suis* egisse, in iisque magnas & periculosas turbas excitasse. Eundem summum quendam Pontificatum affectasse, falsum pro vero, fabulas pro historiis narrare, pro ludo habuisse. In totâ sua vitâ, etiam in manifestissimâ fraude deprehensum, nunquam tamen erubuisse. Doctrinam & sententiam suam de religionis capitibus sæpius, unoque ostiduo termutasse. Convitiis, calumniis, mendaciis, sarcasmis impudentibus potius, quam firmis & solidis rationibus, cum adversariis certasse. De seipso magnificè sensisse, reliquos omnes præ se contempsisse. A suismet, erronem, levissimum scurram, nominatum, qui, ut ex dictis & factis ejus cognoscatur, neque religionem neq; conscientiam ullam habeat, qui petulantissimâ sua linguâ omnes infectetur & calumniando mentiendoque sese apud principes & quoscunq; alios insinuare studeat. A Selneccero, individuo ejus comite proditum, quod nullum omninò habeat Deum, si Mammonem & Bacchum excipias; nam se nunquam audivisse,  
 vel



vel conjectura aliqua saltem animadvertere potuisse, toto illo tempore, quo venalem ubiuitatem circumvexerit, quod vel cubitum iturus, vel de lecto surrecturus, aut orationem Dominicam recitaverit, aut ullam DEI mentionem fecerit. In reliqua verò vita dictis, factis, consiliis, nullam pietatis scintillam, summam verò levitatem semper deprehendisse. Augustum verò Electorem sanctè coram aliquot principibus testatum esse, se quatuor tonnas auri daturum, si polypragmona & garrulum istum Suevum in suam ditionem nunquam vocasset, aut vocato non adeò se præbuisset credulum. His ille elogiis, aliisque, quæ ex Jo. Sturmio diligentissimè describit, Jacob-Andreas manes exornat. Quæ miror, virum, antiquitatis & historiarum non imperitum, potuisse tam temerè effutire. Noverat ille, ad rei veritatem historico non sufficere quamcunque, vulgò circumlatam, narratiunculam, sed documenta requiri, omni exceptione firmiora. Nec vellicari posse aut debere hominis honesti famam, nisi publica indubiaque argumenta vitiorum scelerumque eundem non suspectum tantum sed convictum reddant. Jam quæ Respublicæ, quæ Academiae, quæ Ecclesiæ, qui docti, qui indocti, nisi ex juratorum hostium numero, quibus hoc ipso fides meritò abjudicatur, testantur, infelici fato natum esse Germaniæ Jacobum Andreæ? Producantur edita in publicum testimonia, eaque incorrupta. Quot verò rerumpublicarum, quot Ecclesiarum, quot Scholarum, quot doctorum indoctorumque vel in solis his Theologorum Epistolis, testimonia comparent, quibus natum publico bono & salutari Ecclesiæ concordie restituendæ virum, liberrimè libentissimeque profitentur? Famosorum certè libellorum scriptori verius, quam genuino cordatoque Historico, congruit, quæ vulgi incertis rumoribus & confictis inimicorum criminationibus feruntur, de quibus solenne istud ingeminatur: *dixisse fertur, meminere aliqui, referunt nonnulli*; viro integræ famæ, qualem Jacobo tot Electorum & Principum literæ & amplissima elogia, ab Leonhardo Huttero in Concordia Concorde

adducta, vindicant, tam impudenter impingere. Cum à Julio Brunsvicensi & Augusto Saxone ad Ecclesias ipsorum reformatas vocatus, ab aliisque Ecclesiis passim, ut supra vitam ipsius percurrendo recensuimus, expetitus, operam iis utilem præstiterit, qui ἀδοτεροπίασιν, agere potuit? Ægrè habet Hospinianum, quod imposturas Calvinianorum VVittebergensium detexit, quod Hieronými Zanchii, Argentoratensi Ecclesiæ subdolè sese infinuantis, fraudes in lucem protulit, quod Memmingensem Ecclesiã à fermento Cleberiano expurgãvit, quod per Concordiæ Formulã aditum Calvinianis in Lutherana ministeria præclusit, quod in Montisbelgardensi Colloquio nova Calvinianorum de prædestinatione ἐκλήρωσιν manifestavit, quod in pleno senatus Bernensis confesſu de erroribus Calvinianorum & subdolis eorundem technis conquestus, colloquium impétravit. Et quia hæc omnia Lutherana Ecclesiã bono non infeliciter pro connata sibi παρήγηται perfecit, ἀδοτεροπίασιν est, quamlibet ubique vocatus, & turbas excitat, quamquam turbas à Calvinianis motas componat. Sed frustra sum in vindicando Andreã, cujus accusator hostis est, nec fidem ullam eo ipso meretur. Addo Saxonis elogium, Jacobo tributum, idque geminum. Judicent, qui veritatem pensi habent, verumne sit, quod de quatuor auri tonnis fabulator ἀνόμητος & pronus in calumnias tenebrio Hospiniano in aurem infusurravit, potius quam quod & epistolã, sigillo suo munita, & inscriptione αὐτος ἐξήφη contestatus est Elector, æterna memoria dignus. Ita ille ad Ludovicum VVürtembergiæ Ducem: Unser freundlich Dienst / und was wir liebs und guts vermögen zuvor / Hochgeborner Fürst / freundlicher lieber Oheim und Schwager. E. L. werden sich zweiffels ohn freundlich zu erinnern haben / welcher gestalt wir anfänglich / als auff Rath und gutachten vieler Fürsten im Reich / eine Christliche Einigkeit zwischen der Augspurgischen Confessions Verwandten Ständen und derselben Lehrern / vermittelt. Göttlicher verleiung zustifften / auch unser Kirchen und

und Schulen / darinnen der leidige Satan durch etliche unruhige und unreine Theologen / allerley zerrüttung anzurichten sich unterstanden / wiederumb zur Ruhe bringen / und mit guter Ordnung zufassen entschlossen und in fürhabens gewesen / E. L. freundlich angelangt / daß Sie uns hiezu den Würdigen und Hochgelehrten / unsern lieben und andächtigen und besondern / Herren Jacobum Andream, der H. Schrift Doctorn / vergönnen und auff eine zeitlang erlauben wollen. Daß nun in dem E. L. so freundlich und gutwillig erzeigt / daß sie uns denselben etliche Jahr vergönnnet / hierinn haben sie uns und männiglich im Werck erwiesen / wie sie zu beförderung dieses Christlichen Fürhabens sonderlich geneigt / und zu gutem angenehmen gefallen gethan. Sonderlich weil diese Zeit über / welche jetzgedachter D. Jacob bey uns gewesen / gespürt und vermerckt / daß Er ihme obbemeldte zwey Christliche Werck mit Fleiß und Ernst angelegen seyn lassen / und neben andern Gottsfürchtigen / frommen und gelehrten Theologen / so zu Berathschlagung des Christlichen Concordien Buchs gezogen worden seynd / das seine gethan / und sich keiner Mühe noch Arbeit beschweret. Wann es aber nunmehr / Gott lob / sein gewünscht End erreicht / und E. L. an uns mehrmahlen freundlich begehrt / da wir gemeldten D. Jac. Andream hiezu weiter nicht bedürffen würden / daß wir Ihme wiederumb erlauben wollen / so haben wir Ihne mit E. L. ungelegenheit nicht länger auffhalten wollen / sondern sich wieder zu Deroselben zu begeben mit Gnaden erlaubt. Thun uns demnach gegen E. L. bedanken und seynd erbiethig / solches umb E. L. mit aller freundlicher Willfahung hinwiederumb freundlich zu beschulden und zu verdienen / und da wir Gelegenheit haben / solches im Werck zu erweisen / wollen wir an uns keinen Mangel seyn lassen. Möchten wir E. L. freundlicher Meynung nicht bergen / und sind deroselben freundliche genehme Dienst zuerzeigen willig. Datum Dresden / den 2. Decemb. Anno

1581. Et in Bibliotum Antvverpiensium opere Complutensi, quod pulcrè compactum D. Jac. Andreae donavit, actiones ejusdem approbavit, commendavitque, ejusmodi inscriptione frontis operis præfixâ:

D. O. M.  
G R A T I A

D.

AUGUSTUS, DUX SAXONIAE,  
S. ROMANI IMPERII ARCHIMARE-  
SCHALLUS, ET ELECTOR, LANDGRA-  
VIUS THURINGIÆ, MARCHIO MISNIÆ ET  
BURGGRAVIUS MAGDEBURG.

H Æ C

SACRO-SANCTA BIBLIA

*SUMMO VIRO, PIETATE, DOCTRINA ET  
VIRTUTE ORNATISSIMO,*

D. JACOBO ANDREAE, S. THEOL. D.  
CELEBERRIMO, DOCTRINÆ COELESTIS AB  
ULTIMI ELIÆ D. D. LUTHERI MORTE, IN HIS  
REGIONIBUS, AB HOMINIBUS LEVISSIMIS CORRUPTÆ,  
INSTAURATORI INTEGERRIMO, DE ECCLE-  
SIA CHRISTI OPTIME MERITO

OB GRATI ANIMI MEMORIAM SEMPITER-  
NAM DONO DEDIT, ANNO S.  
M D LXXIX.

Tandem bona causa triumphat.  
Augustus Dux Saxoniae Elector.

Cæterum alii Jacobum Andreae, ut incomparabilem Eccle-  
siae Doctorem & alterum quasi Lutherum laudant, in coelumque  
vehunt.

vehunt. Lucas Osiander Centuriâ XVI. libro IV. caput quadragesimum tertium ita exorditur: *Die septimâ Februarij, Anno Christi, 1590. ex hac mortali vitâ in patriam cœlestem vocatus est, vir clarissimus, D. Jacobus Andrea, Præpositus & Cancellarius Academia Tubingensis, cum vixisset annos sexaginta unum.*

*A teneris in Scholis educatus, in Academiâ Tubingensi linguis, philosophiâ & Theologiâ operam dedit & dexteritate ingenij omnes condiscipulos longo post se intervallo reliquit. Fuit latinè, græcè & hebraicè doctus, in philosophiâ, Theologia & in artibus dicendi ita exercitatus, ut disputando nulli cederet. Naturalem facundiam tantam habuit, ut etiam extemporaliter propè, post brevem meditationem, conciones doctas & nervosas daret. Sub periculoso tempore Interimistico, cum adhuc Diaconum Tubinga ageret, in concionibus suis graviter in AntiChristum Romanum est invehctus.*

*Ab omnibus hæresibus & sectis vehementer abhorruit & pio Zelo præditus vitam etiam honestam & irreprehensibilem duxit, tametsi à Pontificijs & Calvinianis adversarijs calumnijs fuerit sæpe, sed injustè tamen, impetitus. (Quibus nempe ipsè, dum viveret, obviam ivit, scripto libro, cui titulum præfixit: Spiegel der offenbaren unverſchamten Calvinischen Lügen/ wider reine Lehrer der Augsp. Confession und greulicher erschrecklicher Låsterung wider die Göttliche Majestet der menschheit JESU Christi. Tübingen/ Anno 1588. Ubi in præfatione & convicia passim in se jacta refutat) Multas Ecclesias piè reformavit, easque vel à Papistico vel à Calvinistico fermento repurgavit. Multis Colloquijs Theologicis interfuit & collocutorem magnâ dexteritate præstitit. Lectiones etiam Theologicas in Universitate Tubingensi & Lipsiensi cum admiratione & profectu auditorum dedit & concionandi methodum tyronibus Theologiâ monstravit. Multas & magnas præfectiones, à magistratu suo jussus, suscepit & quidem in longinquas regiones. Nam & Daniam, Saxoniam, Misniam, Turingiam, Franconiam & Sueviam perlustravit. Quin etiam in Galliam usque, legatus eò missus, penetravit. Concordiæ*

negotium magno studio & felici successu promovit. Tandem magnis laboribus debilitatus decumbere capit & destillationibus crebris vexatus, cum moriturum se ex morbo intelligeret, senatum Universitatis Tubingensis ad se vocavit & decumbens fidei suae piam confessionem edidit & fidem suam sacrâ cœnâ Dominicâ confirmavit, & dispositis etiam rebus domesticis post biduum piè & placidè in Domino expiravit, magno post se omnium bonorum desiderio relicto. Sepultus est Tubinga honorificentissimè multis cum piorum lacrymis.

Duo fuerunt in hoc viro prorsus singularia, profunda eloquentia & inusitata parrhesia. Poterat enim, quicquid animo conceperat, aptissimo verborum profluxu, citra omnem difficultatem, etiam nihil aut parum praemeditatus, in publicum effundere. Quâ re magnam sui admirationem passim excitavit, nec minorem sibi acquisivit auctoritatem. Hac sine si fuisset, non potuisset tot ubique frequentare colloquia & in plerisque potiores sibi fumere partes, nec cum tot adversariis congregari, nec tot in lucem protrudere, quæ vel proprio vel integrorum collegiorum nomine ederet, scripta. Tantâ præterea fuit loquendi agendique libertate, ut Imperatoribus, principibusque immergi, cumque iis sermones confidentissimè serere, perinde haberet, ac colloqui cum sui similibus, aut in auditorum suorum cœtu versari. Quâ liberâ, ut Cicero alicubi loquitur, contumaciâ atque animi magnitudine, post Lutherum sibi quasi propria, dici non potest, quam sibi apud nonnullos, (cujus rei in nostris quoque epistolis vestigia comparent) invidiam, quod apud alios, Calvinianos in primis, odium, quam denique apud plerosque nomini suo existimationem venerationemque pepererit. Jo. Hoornbeekius, Hospiniani plenum livoris iudicium secutus, libro IX. Summæ controversiarum, p. 658. *Virum vocat inquieti tumultuantisque ingenij, arrogantis magis, quam docti & qui haud leve lucrum familiae ex novis semper variisque tumultibus, quibus ut plurimum praefuerit, attulerit.* Florimundus verò Ræmundus, Pontificiarum partium scriptor, isthoc Jacobum ornat encomio, in Synopsi histor. memorab.

L.V. cap.

L.V. cap. XI. *Jacobus Andreae, rara doctrina & magni ingenij homo, profectus ad Augustum Electorem, cui praeceteris Formula Concordiae placuit, liberaliter admodum receptus est.* Quamquam verò in accurata solidaque rerum Theologicarum eruditione, praecipue profanarum pariter sacrarumque historiarum scientiâ, magnum & inestimabilem Germaniæ Theologum, Martinum Chemnitium, cujus luculenta opera toties iterata editione typis impressa, cum aliorum exiguo temporis tractu in oblivionem abierint, hodieque omnium manibus teruntur, non fuerit assecutus, istis tamen, quæ antea laudavimus, ingenii sui donis Ecclesiæ equidem non parum profuit, perfecto imprimis Concordiæ opere, quo si nihil aliud, hoc certe distracta miserè & majores quotidie scissuras minirans Ecclesia obtinuit, ut sepe quadam ab heterodoxis societatibus separata atque munita, ex eo tempore insidias Calvinianorum, sub specioso Augustanæ Confessionis nomine ubiq; in orthodoxorum cœtus sese intrudentium, feliciter effugere & fovere concordiam, quam antea, majorem firmioremq; potuerit. Atque in eo opere conficiendo, non apertis fraudibus, non clanculariis technis usum esse Jacobum, quod totiens Hospinianus & Calviniani declamitant, sed inexhaustum, impigrumque subiisse laborem & suffragia legitimis mediis, quæ Christianorum nemo jure culpâre possit, requisivisse, etiam præsentis Epistolæ nostræ Theologicæ luculenter testari poterunt. Fuerit denique Jacobus non ab omni labe alienus, (nam & ejus intempestivas cum majore se & doctiore Chemnitio similtates, quarum epistolæ nostræ meminerunt, & controversias alias, ob quas & Elector ei aliquando infensus fuerat, non diffitemur) commune id ei cum maximis viris fuit. Nec enim angeli sumus immaculati, sed thesaurum donorum Divinorum, nobis concreditorum, in testaceis vasis gerimus, ut virtus supereminens DEI sit & non ex nobis.

De Jacobo Andreae *Jac. Aug. Thuanus*, libro historiarum nonagesimo nono, postquam Hieronymi Zanchii moderationem laudas-

laudasset, qui extremo vitæ anno fidei confessionem ediderit, testatus: se à Romanâ Ecclesiâ non simpliciter & in omnibus defecisse, sed in illis tantum rebûs, in quibus ipsa defecit ab Apostolicâ, atque ad eò à seipsâ veteri & pura Ecclesiâ, neque alio discessisse animo, quam ut si correctâ ad priorem Ecclesiæ formam redierit, ipse quoque ad illam revertatur & communionem cum ea in suis porrò cæribus habeat, hæc subdit: *amarior eò Romana Ecclesiâ & Pontificij nominis oppugnator, Jacobus Andreas, qui Johanni Brentio in Tubingensi Academiâ successerat, sapius cum Genevensibus Pastoribus congressus, & ante quinquennium cum Theodoro Beza ad Pelicardi montem, nuper verò, Badæ coram Jacobo Marchione, cum Johanne Pistorio, (quem mirum est, Hoornbeekium, non Reformatæ sed Romanæ sententiæ addictum fuisse, potuisse ignorare, qui tamen recentiore Ecclesiæ historiam non vulgariter calluerat) disputatione sub anni superioris exitum instituta, cum res illi ex voto non successisset, sive ex mærore, sive jam annis ac laboribus fractus, domum reversus Januario proximo incunte decessit.*

Imaginem viri exhibet Erh. Cell. in Imag.

## XXVIII.

## JOANNES STREITBERGERUS.

**N**ascitur. . . . . 1517.  
 Antistes primum Naumburgi, tum Brunswigæ, porrò  
 in patria Curia Variscorum, postea Pastor ac Superintendens Culmbacensis.  
 Argentoratum ad Professionem Theologiæ vocatus, à  
 Marchion. Brandeb. non dimittitur. . . . . 1563.  
 Moritur 10. April. . . . . 1612.  
 Elogium viri lege Part. III. Epist. 48.

XXIX. DA-



## XXIX.

## DAVID VOITUS.

Natus Ronnenburgi, Thuringiæ oppido, patre Jo-  
anne Theologo & lociInspectore.

1529.

Studiis innutritus in Academia VVittebergensi, docto-  
ribus Luthero, Melanthono & eorum *magistris*, &  
in Academia Jenensi, præceptoribus Sneyffio & Stri-  
gelio, VVittebergæ magister renunciatur, Jenæ verò  
Græcas literas, magnâ cum nominis sui famâ docet.  
Regiomontem deinde ad Academiam & aulam vo-  
catus, Doctõris gradum VVittebergæ, Præfide Me-  
lanthono, assumit.

1560.

Quindecim annis ibi exactis, & mortuo Principe Al-  
berto, Dantisci per integrum annum docet.

1576.

Ex quo Jenam vocatus Professore Scholæ & Ecclesiæ  
ministrum agit.

1577.

Denique in Academiam VVittebergensem translatus  
Ecclesiæ pastorem & Professionem Academiae sus-  
cipit.

1587.

Lites Theologicas, Herzbergæ ob Zvvinglianismum  
obortas, componit.

1589.

Moritur *Crypto-Calvinianorum artes & imposturas toto  
animo detestans*, 26. Novembr.

1589.

Hæc *Melchior Adami*, homo reformatæ religioni addictus,  
in vitis Theologor. Germ. p. 633. quod unde hauserit, mihi non  
constat. Sed de eo Lucas Osiander, Cent. XVI. lib. IV. c. XXXVI.  
*Theologus Semi-Calvinista, qui de majestate hominis Christi non fuit  
satis informatus.* In eundem Balth. Mentius hoc scripsit epi-  
gramma:

*Conditur hac urnâ Voitus, qui maximus arte,  
Maximus ingenio, maximus eloquio.*

In scri-

*In scriptis dictisque, sacro quæ flamine sparsit,  
 Exhibet ingenij dona videnda sui.  
 Testis Najadum tutor, qui succina gignit,  
 Brægela, Pieris conspiciendus aquis.  
 Succinæ factores pellunt succensa: sed ille  
 Arte suâ pepulit nubila ab arte sacra.  
 Testabuntur idem Tua Sala sedilia Musis  
 Sacrata & vero templa dicata DEO.  
 Leucorea tandem mystes præponitur ara,  
 Ensisseri accitus principis imperio.  
 Pulpita, Lutherum quæ sustinere docentem,  
 Agnoscunt similes, hoc resonante, modos,  
 Non illum sedes quondam tua, doctæ Melanthon,  
 Arguit à Domino degenerare suo.  
 Talis erat: quo vis, nunc perge, viator, & opta:  
 Producant pariles secla futura viros.*

XXX.

## HIERONYMUS WELLERUS.

**N**atus Fridbergæ in Misniâ è Nobilium à Mollsdorff familia, die Jovis post Ægidii.

1499.

Admotus studiis è Lutheri cumprimis conversatione doctrinam pariter atque pietatem singularem haurit, & idè Ecclesiæ patriæ Fridbergensi, tanquam Superintendens, præficitur, in quo officio magna cum auditorii sui ædificatione, licet gravissimis haud rarò tentationibus à Satana vexatus, ad mortem usque perseverat, quæ ei apoplectico obtigit 20. Martii.

1573.

Uti Luthero, dum viveret, carissimus fuit VVellerus: ita vicissim VVellerus Luthero ita adhæsit, ut quasi unum præ cæteris omnibus

omnibus Ecclesiæ doctoribus æstimaret. Quod & tertiæ partis quinquagesima nona epistola manifestat. Quare eundem *D. Luc. Osiander*, Cent. XVI. lib. III. cap. LXX. hoc ornat elogio: *In patriam cælestem evocatus est hoc anno Hieronymus Wellerus, Theologus eximius, cujus scripta spiritum Christi & D. Lutheri spirant fragrantissimè, plena pietatis veræ & solida consolationis, que omnis generis tentationibus utiliter opponi possunt. Obijt autem vir ille optimus anno ætatis suæ LXXIII.*

XXXI.

## CYRIACUS SPANGENBERG.

**N**atus Northusæ in Thuringiâ, Patre Joh. Spangenbergio, viro erudito, 17. Jun.

1528.

Literas excoluit VVittebergæ, magister ibi philosophiæ factus. Tum per quadriennium Theologiæ studio, magistro cumprimis Luthero, incumbit. Quo ad cœlites translato, scholæ primum, postea Ecclesiæ Illebiensi operam suam addicit. Quam cum præstitisset per triennium, Mansfeldensi Ecclesiæ ut Decanus præficitur. Interimistis adversus cum Flacio Lutheranam fidem acerrimè propugnat, cæteris ideò invisus; sed cum Flacii de originali peccato sententiæ acriter inhareret, loco ejectus, cum Volrado Comite Argentinam abit, ibidemque eidem demortuo funeris exequias cohonestat.

1578.

Hinc Schlitsæam Buchoniæ vocatur, sed paulò post iterum ejectus, Fachæ aliquandiu durat, dum à Mansfeldensi Comite, Ernesto, Argentoratum accersitus, cum Bibliothecâ suâ eò migrat. Cujus liberalitate usus est, donec ex hac vitâ Argentorati excederet, 10. Febr.

1604.

Non

o 2

Non videtur alienum à veritate de Cyriaco Spangenbergio Jo. Wigandi iudicium, libro de Manichæismo renovato, qui vivente Spangenbergio lucem vidit, proditum; quod cum plurimæ in hoc opere Epistolæ sine eo intelligi nequeant, integrum apponemus. *Involvitur, inquit, eidem reti Illyrici Cyriacus Spangenbergius, pastor in oppido Mansfeld. Is quoque omnium primus Germanicâ linguâ hunc errorem spargit, & quidem ad vulgus, in quarta parte cythara sua, omnibus bonis id improbantibus & Spangenbergij vicem dolentibus. Nam pro iudicio multorum bonorum in comportandis sermonibus ad populum linguâ vulgari non malus est scriptor. Sed ad controversias religionis tractandas, quæ exactius iudicium & majorem dexteritatem requirunt, parum videtur esse idoneus. Variant enim dona DEI, id quod notissimum est. Postea autem plura Germanica scripta de eodem errore proferens Spangenbergius, simplicitatem suam, cui tamen malitia post plurimas commonefactiones, quibus nihil relinquit loci, accedit, miserabiliter prodit. Nam neque ipse argumenta contexere, neque ad objectiones ordine atque perspicuè respondere valet, & scopum plerumque negligens in fallaciam plurium propositionum pueriliter delabitur, in iisque maximos clamores edit, de quibus nulla est controversia. Principale verò negotium sublati pedibus vix stringit, ac planè super aristas graditur. In criminationibus autem & mendaciis fingendis, quibus deformare rectè sentientes nititur, effrenis est, suæque conscientia obliviscitur. Nam hoc est catholicum: omnis erroris spiritus est etiam maledicentiæ spiritus. Existimant autem plerique, Spangenbergium partim stoliditate quadam ad Manichæorum dogma defendendum accensum esse, quia existimaret, Illyricum non esse deserendum, cum is antea contra Interimisticas molitiones rectè egisset & benè de Ecclesiâ Christi meritis esset, partim verò ambitione demeratum, quia & ipse ex Teutonicis scriptis Ecclesiæ aliquo modo notus jam in hoc errore exornando vellet inclarescere. Sed Illyricus hac in parte à veritate Divinâ defecerat, nec habebat causam priorî similem. Deinde non bonum, sed pessimum nomen gignit, errores*

*pinger*

pingere fucis, eâque de re sæpius est monitus Spangenbergius, ipsum nomen suum bonum, si quod antea habuisset, hac controversiâ amissurum. Quia non sit eadem ratio, compilare concionem vulgo proponendam, & gravissimas controversias publicè coram Ecclesiâ Christi explicare, ac præsertim errores tetros ac vetustos hinc inde conquisitis pigmentis exornare. Hæc ille.

Quid turbarum in Ecclesia Mansveldensi ista tam importuna Illyrici defensio, calamo & ore præcipuè hujus Cyr. Spangenbergij & post eum Christophori Irenæi suscepta, excitaverit, Hieron. Mencilii Epistolæ, Part. iv. Epist. CXI. CXLIV. CLXIV. & aliorum testantur. Quæ tamen eadem simul insinuant, eâ animi bonitate Spangenbergium fuisse, ut errorem, nisi eundem seduxisset Irenæus, facile abjecisset. Sperabamus, ait Mencilius, nos lenitate & moderatione Spangenbergium ab isto conatu & proposito retracturos esse. Ideò longo tempore tacuimus & levissimis scriptis, placidè cum ipso, tanquam fratre carissimo, egimus. Sed sefellit nos spes & expectatio nostra & flabella illa, quibus circumseptus est, consiliis salutaribus & actionibus moderatis locum nullum relinquunt. Quare & officio suo exutus, A. 1575. cumque Comite suo, quasi in exilium, Argentoratum secedens, in eo quoque sedatum & abhorrentem à Flacii, Præceptoris sui, importunitate & tumultibus animum demonstravit, quod toto illo tempore, Flacio turbarum auctore rebus humanis exempto, quietissimè pientissimèque egerit, donec in Domino, Servatore suo, obdormiret.

XXXII.

## HULDERICUS COCCIUS.

Natus Friburgi Helvetiorum, Patre Ulrico Röchlein; unde latinâ terminatione Cocci sibi nomen sumpsit. 1525.

Institutus primum à Vitrico, Nicolao Essig, cui mater vidua, Barbara VVingartina, Basileæ nupserrat, qui

hunc

- hunc suum privignum, bonæ indolis puerum, cælege adoptavit & studiis adplicuit, ut cognomen Essig suo subjungeret, quod etiamnum gerunt, qui ex familiâ hac hodie sunt superstites. Admissus ad lectiones publicas. 1542.
- Primâ laureâ ab Joanne Hospiniâno donatur, 13. cal. Apr. 1544.
- Magisterii gradu ab Ulrico Hugobaldo, d. Mutio, 4. cal. Mart. 1546.
- Linguam Græcam publicâ professionis auctoritate in Pædagogo Basil. proficitur, quam tamen certis de causis cum Thomâ Grynæo permutat, ad VVillichii Dialecticam transiens, quo nomine etiam in concili-um facultatis receptus. 1547.
- Pædagogi præfectum agit usque ad annum. 1555.
- Pastor Suburbicanus, antequam in Pædagogo cœpit docere, deinde Ecclesiastes Martinianus, in locum Joh. Gastii. 1552.
- Lóracum in Marchionatum Bad. missus primam habet Evangelicam cõncionem, 12. cal. Febr. 1556.
- Pastor Ecclesiæ Petrinæ eligitur. 1562.
- Novi Testamenti ei Professio demandatur. 1564.
- Ducit Margaretham Merianam. 1540.
- Et hac demortuâ Ursulam Feschiam.
- In Doctorem Theol. promovetur à Sim. Sulcero. 1570.
- Obit ex aqua intercute 5. Id. Febr. 1585.
- Reliquit duos Filios, Academia Basileens. Professores: *Samuelem Coccium*, Dialect. P. & *Thomam Coccium*, Moralium P.
- Huldericum* hunc *Coccium* Matthæus Mejerus, Græcæ quondam linguæ in Acad. Basil. Prof. hoc ornat elogio: *Verè erat, quod dicebatur, Huldenreich. Nam sive illud ipsum ita, quod aliorum gratiam, favorem & benevolentiam sibi meritis suis conciliaverit, intelligas, sive eum in modum, quod singularem animi promptitudinem,*

nem, occasione gratificandi quibusvis oblatâ, declaraverit, accipias, omninò nomini, fato indito, respondebat. Elucebat in eo singularis patriæ amor & indefessum erga Academiam studium, cujus præter alia evidens indicium fuit, quod <sup>Bomæno</sup>, sub finem Rectoratus D. Felicis Plateri feliciter institutum, ex quo lampada ab ipso accepit, plurimum augeri curaverit. Aptus, non Mosis modo, sed & Aaronis provinciam sustinere pariter & exornare.

Epitaphium ei Basileæ statutum tale legitur:

DEUS IPSE CHARITAS EST.  
EJUSDEMQUE

*In Ecclesiâ atque Scholâ  
fidus verusque minister*

HULDRICUS COCCIUS,

Theologus Basileensis,

OVES PETRINAS PETRINA CURA

Annos XXIV. pavit.

*Theologicam Cathedram illustravit.  
Spiritus pacis Christi amantem auctori  
suo sexagenarius reddidit,  
Reliquias ex hydrope ossi carniq̄ue sua.*

MARGARETÆ MERIANÆ

&

URSULÆ FESCHIÆ,

Cum quibus seorsim an. p. m. XL. in  
sacro vixit conjugio,  
contumulari voluit.

ANNO SAL. M. D. XXXV.

Fuisse

Fuisse *Huldericum Coccium*, &, qui ei intima familiaritate conjunctus fuerat, *Simonem Sulzerum*, ut in aliis fidei dogmatibus, (in quibus dissensus inter Lutheranos atque Zvinglianos nondum adedò in aperta luce fuerat) ita præcipuè in articulo de substantiali præsentia corporis & sanguinis Domini in sacrosancto Cœnæ Sacramento, Lutheranae prorsus opinioni addictos, canique tum communem & publicè receptam Ecclesiæ atque Academiae Basileensis fidei professionem fuisse, adedò dilucidè Epistolæ nostræ produnt, ut pudori vix inferat, qui hoc sit inficiaturus.

Nam I. uterque ad *Marbachium*, tanquam ad domesticum fidei, inque religione prorsus *ἀμειψόμενος*. scribunt, eumque fratrem & symmistam in Domino conjunctissimum, colendissimum atque carissimum vocant. Nec id suo tantum, quasi ab aliis separati, sed communi ministerii Basileensis nomine, ut habet partis secundæ epistola vicesima quarta, faciunt. Cæterum in epistolis eum subinde erga *Marbachium* atque Ecclesiam Argentoratensem affectum, amorem, curam, sollicitudinem testantur, ut neque flagrantior neque intensior erga ejusdem sanguinis animique fratres exeri possit. Quo in scribendo candore neque Calvinus unquam, neque Beza, erga nostros, in confessione fidei circa SS. Cœnæ negotium ab ipsis dissentientes, usi esse leguntur.

II. Eos nostrarum partium Theologos, qui contra Calvinianos tum in acie steterant, Joannem Brentium, Jacobum Andreae, Martinum Chemnitium, Joannem VVigandum, Tilemannum Hesshusium, Lucam Osiandrum, Joannem Pappum, aliosque, ubique laudant & in cœlum vehunt, eorumque scripta in officinis Basileensibus imprimi distrahi que procurant. *Scriptum Wigandi*, ait Sulzerus, ep. LVII. Part. II. *cum obiter tantum inspexissem, Coccio symmistæ perlegendum exhibui. Quia enim inscriptio Wigandum profitebatur, animo jam præsumebam, nihil in eo contineri, quod ullâ ex parte à veritatis regulâ deflecteret, aut consensio- nem sanctam lederet; eademque fiduciâ præjudicioque etiam Coccius,*



icum legisset exemplar, Oporino nostro utriusque nomine potestatem excudendi fecit. Quod vero Tiguri atque alibi, ubi Zwinglianismus dominabatur, nunquam factum esse, experientia edocuit.

III. Calvinianos seu Zwinglianos, à Luthero sive in articulo de Coenâ, sive in dogmatibus aliis recedentes, passim improbant, rejiciunt, damnant. Cum Petrus Martyr, Angliâ expulsus, peregrinis doctrinis ministrorum Argentoratensium concordiam turbaret, Ministri Ecclesiæ Basileensis uno eos ore hortantur, ut apud magistratum instent, sui ut muneri probè memor curet repurgandam, ut ep. XXIV. Part. II. loquitur, *ab impietate Ecclesiam.* Martyrem verò per literas officii sui fraternè commonent. Cum Jo. Piscator serere Zwinglianæ doctrinæ semina cœpisset, suadet *Sulcerus*, Part. IV. Ep. XLVII. ut per Marbachium, uno alteroque ex Symmistis adhibito, sanatio privata interpellatione, si forte in viam revocari queat, adhibeatur. Quâ non succedente agatur per Conventum; utcunque autem res cadat, quia in Professione Theologicâ specimen parum auspiciatum præbuerit, expedire ait, ut vel ad aliam professionem transferatur, vel, nisi resipiscat, à Schola prorsus absit, ne pergat negotium facere, consensumque & pacem Ecclesiæ perturbare. Animum verò à Piscatore alienissimum istis sancto affectu plenius verbis explicat: *Afflictio tua, Marbachi reverende & carissime frater, certè nostra est, ob quam gemimus ad Dominum. Quam enim perturbetur quamlibet etiam forte peccatus, quando ex sinu nostro procedunt, qui non solum spem fallant nostram & expectationem, sed in apertos etiam hostes degenerent, ex meipso & alijs conjecturam facio. Et talem se certè ausu inconsulto M. Jo. Piscator præstitit, qui tantum non bellum apertum professione publicâ denunciavit, posteaquam ausus est eam doctrinam convellere, qua non solum à Tuâ dignitate publico scripto, sed totius etiam ministerij Argentinensis liquidâ testificatione approbata est, ac pridem à pientissima memoriæ viro, communi nostro Præceptore, Bucero, præter alia maximè in Epistolâ ad Comandrum ostensa. Nec Sulcero proprius fuit hic dolor, eadem pro Argentoratensibus curâ*

bus curâ angebatur Basileense ministerium. Quamobrem Piscatore à Senatu Argent. ab officio remoto, communi manu ad D. D. Scholarchas scribunt, *eosque*, ut Sulcerus Ep. LIV. Part. IV. loquitur, *in piâ sententiâ, quantum in ijs erat, confirmant.* Calviniani verò ab omni errore Piscatorem absolvunt, & turbarum culpam in Marbachium in solidum transferunt.

Nec Zvingliani tantum dogmatis apertos sectarios, sed & IV. crypto-Calvinianos, id est, eos, qui Calvinianam mentem sub Lutheranis verbis simulabant, quales tum præcipuè Theologi VVittebergenses fuerant, detestantur, eosque ad Lutheranum sensum redire toto pectore optant & lætantur. *Ceterum*, ait Sulcerus, Ep. CLXXI. Part. IV. *quod Wittebergenses Theologos attinet, videre licet mirandum DEI iudicium, qui cum peregrinam doctrinam, (ita nempe Calvinianorum placita vocat) inducere & astu obliterare atque convellere veritatem à Luthero traditam, (cui nempe opponuntur errores Calviniani) Ecclesiarumq; Saxonicarum confessionem tentarint, maximo sint conatu frustrati, patefactis aperte nimis ipsorum studiis, non sine ipsorum confusione. Paroxysmus certè gravis fuit, sed forte necessarius & non sine singulari fructu, quod soleat Dominus mala nostra ad sui nominis gloriam & Ecclesia adificationem convertere.* Quod iudicium in sequentibus verbis denuò toti ministerio Basileensi commune facit: *communicavi*, inquit, *hac fratribus, qui pariter mecum hac rei gesta historiâ afficiuntur.* Præterea irascitur iis; qui Lutherum atque Bucerum, antequam ad cœlites abirent, mutasse sententiam & in Zvinglii opinionem concessisse clamitabant. Quamquam enim Lutherus propensus pro sua pietate ad piam conciliationem fuerit, ob Ecclesiæ adificationem, veritate tamen doctrinæ circa hoc sacrum intactam esse voluisse; *ut multo minus ipsi defectio imputari queat, quam Herculi pusillanimitas, Catoni avaritas, Phocioni animi à sincero justitia studio declinatio.* De Bucero verò hæc memoratu prorsus dignissima subjicit, Ep. CXXXII. Part. IV. *Ceterum quod inconstantia vir optimus, deque Ecclesiâ præclarè me-*

ritus, Bucerus, arguitur ab importunis quibusdam, non est nova calumnia, sed inde orta, quod sequestri munus parum reputatur, cui necessum est, utriusque partis, quas compositas velit, durius in speciem dicta candidâ interpretatione mollire & in utraque aliquid desiderare: quod qui levitati imputant, declarant, quam ipsi procul absint à vera edificationis studio, quo hic vir DEI cum constanti SINCERÆ doctrina circa hoc sacrum, ut alia, professione flagravit usque ad finem, non semel testatus, intempestivo se zelo eousque provecum, ut veram Lutheri doctrinam unâ cum aliis impugnaret. Unde factum, ut quotquot per ipsum circa hanc controversiam edocti sunt, eandem doctrinam & confessionem cum ijs teneant Ecclesiis, qua Augustanam sinceriter sequuntur. Qua in re, cum ad Conr. Hubertum provocasset, concludit: Deploranda sanè sunt hæc tam sinistra quorundam studia, qui, ut apertam lucem obscurent, ad sua præjudicia detorquere conantur, quamlibet sincerè dicta & acta. Hæccine homo Calvinianus pro Bucero scriberet?

V. Libros adversus Calvinianorum corruptelas à nostris in publicum editos approbant, laudant, commendant; Scripta Calvinianorum, Ecclesiarum nostrarum doctrinæ opposita, rejiciunt, condemnant, execrantur. De Tractatu D. Marbachii de Cœna, quem contra Calvinianos dedita opera scripserat, H. Coccius, Ep. LXXX. Part. III. Hunc ego, inquit, ubi primum accepi, inspexi sedulo, judicavi que statim, quod res videbatur postulare, & diligenter & circumspicè omnia tradita, nec minore, quantum negotium ferre potuit, modestiâ. Porro quid tibi expectandum sit, cum ex superioribus, (Helveticis nempe, imprimis Tigurinis) tum ex inferioribus (Palatinis, nominatim Heidelbergensibus) terra partibus, Doctoribus scilicet Calvinianis, pro tuâ prudentiâ dudum conjicere potuisti, fulmina, tonitrua. Sed te solatur vicissim, quod pro VERITATE & in ac salubri secundum sensu certasti. Et hæc in parte tibi fideliter adsunt D. Christi, cujus res agitur, expressum verbum. Accedunt & tot hodie passim Ecclesie, à qua nimirum suam, hoc est, Basileensem omnium minimè ex-

cludit. *Sulcerus* verò sequente epistola: *probo valde pietatem, studium & diligentiam tuam, quâ effecisti, ut habeantur multa explicatiora, quam apud alios ullos inveniuntur. Et spero, Dominum daturum, ut sit fructuosus hic labor tuus, cum ad instructionem, tum ad confirmationem multorum. Tanto autem infestius conjicio insurrecturos, quod peti sua fundamenta machinis non levibus perspiciant. Quod jam ante nimirum, quam in lucem dares opus, abundè providisti, ac te defensionem legitimis armis paras. Aderit Dominus ipsius causam agenti & ejus praelia depugnanti. Cumque Calviniani Heidelbergenses alique virulentis scriptis hunc tractatum impetissent, *Erasti* libellum, Epist. XCII. vocat parum consideratè scriptum, splendidam bilem egregiè redolentem, quo tantum absit, ut vel apud mediocriter imbutos causa veritati detrahat, ut eam potius confirmet. Reliquorum, ut *Oleviani*, *Sylvani* & *Lagi*, si cum *Erasti* paria faciant, daturus delicias iis, quibus aures pruriunt, cordatis verò omnibus displicituros. Te verò hortor, inquit, ut cum te ad defensionem justam comparas, ne facias cum illis paria, sed & gravitate & modestiâ Theologicâ causam agas Christi, non tuam, quod ut possis, non desinam tecum serio ardentèq; precari. *Coccius* verò conciones *Marbachii* de ascensione Christi, postea à *Johanne Sylvano*, *Lauterensi*, impugnatas, hac crisi profectitur, in Epistola, cujus partem *D. Jo. Schmidius* Præfationi ad sermones de Divinæ pacis conditionibus habitos inferuit: Priores duo sermones videntur mihi præter id, quod suaves sunt, etiam perutiles, eò quod attigerunt capitâ maximâ contentionis præsentis. Semper enim somniant aliqui, nos transsubstantiationem Papisicam introducere, inclusionem localem, venerationem extra usum & cibum potumque ventris. Quæ sicut à nullo unquam fuerunt proposita, ita à te probè diluuntur. Quantum autem postremam seu tertiam orationem attinet, *Zwingliani*, (vide, quomodo se & nomine tenus à Calvinianis disjungat!) multa negabunt & tuam antea sapius lesam patientiam in furorem, (ut ita dicam pace tuâ) conversam clamabunt, cum tamen ipsi, quemadmodum Heidelbergensium, Lauterens-*

terensium & aliorum scripta testantur, histrionum scurrarumque more erumpant. Fuit apud nos D. Rod. Gualterus, Tigurinus, ac Fratrum Tigurinorum nomine, proposuit consilium, quo ex petitione illustrissimi Principis Palatini sententiam suam de cœnâ aperire brevi Libello & Casarea majestati transmittere ad comitia velit. Petijt, ut nos, quod & alij Helvetij purioris doctrinâ fecissent, ipsis jungeremur. Nos autem & Magistratus noster (adeoque duo principes Ecclesiæ Basil. status) priorem suam jamdiu editam confessionem, in sacramento corporis & sanguinis Christi nihil ab Augustanâ dissentientem, multò minus ab Evangelistis & Paulo, simpliciter retinet. Hac te, clarissime vir, ac fratres Argentinenses scire volui, ut videatis, quam subinde tentemur, quia non castris vestris relictis in aliorum transimus. Placebit vobis procul dubio Magistratus nostri & fratrum, (licet non omnium) constantia, qui nihil aliud cupimus, quam ut verbo DEI suus relinquatur honos ac omnibus humanis cogitationibus & artificio preferatur. Quâ in re vos hæcenus laborastis & laborabitis posthac feliciter. Quamquam verò idem Coccius in responsione à Marbachio adornata loquendi quasdam fórmulas emendatas cupiat, (qua censura & conciones de ascensione notaverat Epist. c. III. Mörlinus) sentum tamen in Marbachio Lutheranum, Epist. c. IX. dilaudat, & partem nostram, cujus & ipse se membrum profitebatur, à parte adversa, hoc est, Zvingliana, separat, adeoque Lutheranum se esse apertè insinuat, Calvinianum esse negat.

VI. Cum operâ Balthasaris Bidembachii Ecclesiæ in Palatinatu ad normam Augustanæ confessionis, exulare justâ, quæ hæcenus obtinuerat, Calvinianâ religione, reformarentur, Sulcerus Electoris moderationem, Ep. CCXXV. Part. IV. commendat, quâ circa ejus operis initia utebatur, si forte, ait, sanabiles in viam reducantur & reformatio minore cum scandalo obtineatur. Precaturque DEUM ut pientissimos sanctorum conatus, in destruendis nimirum & expurgandis Calvinianorum erroribus occupatos, misericorditer provehere & prosperare dignetur. Cumque Senatus

Argentoratensis, civilibus rationibus motus, consentire quidem in subscriptionem formulæ consensus recusaret, profiteretur tamen, *nolle se Zwinglianorum confessioni annumerari*, id sapientissimè pronunciatum *Sulcerus* asseverat. Quippe quod argumento sit, *VERAM doctrinam Senatam amplecti & tueri constituisse*. Ep. CCXXXV. Part. IV. Quo quid clarius, quidque magis adversum Zwinglianis dici poterat?

VII. Ecclesiam Basileensem eas doctrinæ formas, ex quibus <sup>deinde</sup> ita dicta concordia Formula concinnata est, ipsamque denique Concordiæ Formam approbare atque servare, quam verò Calvinianis potissimum oppositam esse nemo nescit, aliquoties disertè testatur *Sulcerus*. De Formulâ Servestæ constituta: Ep. XXXVI. Part. IV. *non dubium est*, ait, *quin cordati omnes sint approbaturi. Nos certè hic eam doctrinam rationem observamus. De subscriptione polliceri nihil possumus*, ob politicas nempe rationes, quibus & Argentoratenses inducti subscriptionem detrectaverant; *interea verò NOSTRUM CONSENSUM* apertè, publicè privatimque declarare pergimus. Quo sensu Epist. XLI. *Pergimus in Domino constanter & veram de S. Mysterio*, (præsentia carnis & sangv. Domini in Cœna) *doctrinam notissimam & testatissimam facere conatu serio studemus*. Eandem doctrinæ formam, à Chytræo, Chemnitio, Jacobo Andrea, aliisque Theologis in Saxoniam conscriptam, cum Maulbrunnæ delecti ad eam rem Theologi, Jac. Andrea, Jac. Heerbrandus, Theodor. Snepffius, Luc. Oslander, Balt. Bidembachius, Theologi Hennebergici duo, & Marchionicus Rupertus Dürr, examinarent, ad eosque forte *Sulcerus* accederet, & amanter, ut frater, exceptus, &, ut collationi interesset, rogatus est. De eo verò scripto pronunciat Part. IV. Ep. CCXII. *ea que examinata sint, visa sibi fuisse solida & pia, ut speret, apud pios & cordatos approbationem habitura*. Ipsum Concordiæ opus, quod spisso volumine incessit R. Hospinianus, unâ cum præcipuo ejusdem auctore, Jac. Andrea, ingenuè dilaudat. Ep. C. Part. IV. *Quod concordia negotium*, ait ad Jacobum, *aussi-*

*eijs optimis opera tuâ indefessâ ceptum feliciter procurrit, merito latamur omnes, qui Ecclesiâ adificationem querunt, qua in tanta distractione nulla certè potuit esse. Eoque magis precor Dominum, ut, quod cepit, opus bonum, per te, suum ad id electum organum, ad finem usque perducatur salutarem, quo desinant aliquando & Papiſta & fanatici de infelicibus nostrorum certaminibus gloriari & confusionem reportent, sua debitam impietati. Cumque Formula Concordiæ in publicum edita varia & inprimis à Crypto-Calvinianis, qui ubique latebant, seque dolebant ista prodi & ex Ecclesiis rebusque publicis excludi, sinistra experiretur judicia, Ep. XXVI. Part. IV. graviter ea reprehendit, speratque, non cariturum fructu hoc opus, quo tam enucleatè multa religionis capita explicentur & refutentur errores. Additque: *Insurgent indubiè complures, allatraturi & arrosuri librum, sed in propriam confusionem. STABIT ENIM IMMOTA CHRISTI VERITAS.**

IIX. Cum anno seculi superioris LVI. Ecclesiâ Marchionatus Badensis, quantum ad lineam Serenissimorum Principum Durlacensium spectabat, ad Augustanæ Confessionis fidem traducerentur, Jacobo Heerbrando & Jacobo Andreæ, Theologis Tubingensibus, quorum operâ Carolus Marchio utebatur, Simon quoque Sulcerus, tanquam ejusdem cum illis confessionis confors, adjunctus, atque ex Academiâ Basileensi, tanquam ex seminario quodam, Ecclesiæ ministri, qui Lutheranam in Marchionatu fidem profiterentur, desumpti fuerunt. De quo negotio Sulcerus ipse, Epist. xxxi. Part. II. *Marchionatus nobis vicinus, inquit, nos ferè exhaustis, quod ministros attinet. Complures enim, ultraque opinionem nostram dedimus, qui eam nobis esse copiam non credebam piorum & cordatorum hominum. Neque infeliciter illi prasunt Ecclesijs. Perfamiliariter mecum D. Heerbrandus egit, quo me amico esse auctum, ex animo mihi gratulor. Quis credat, ex Academia vel Ecclesiâ Calviniana ministros Lutheranos, immò Lutheranorum ministrorum copiam potuisse depromi? Quid ministris illis, in Academiâ atq; Ecclesiâ Basileensi natis factisque,*

in Marchionatu nostro docendum fuerit, Agenda nostra Ecclesiastica exponunt. Postquam enim præfatus fuerat Princeps de diffidiis, inter Ecclesiæ reformata doctores obortis, hunc in modum præcipit: So wollen und erfordern wir / daß unsere Pfarrer / Prediger und andere unsere Kirchendiener ihre Lehre und Kirchenhandlung / in diesen zwispaltigen auch andere Punkten / nach Inhalt / Anweisung und Erklärung der bemelten Augspurgischen Confession und Articul Christlicher Lehre / so da hätten sollen auff's Concilium zu Mantua überantwortet werden / verrichten und vollziehen. In ordinatione verò de Cœna Dominica errores Pontificiorum & Calvinianorum nominatim perstringit: Dann auff der einen Seiten ist es nicht ein Auftheilung des verordneten Nachtmahls Christi blieben / sondern ist zu einem Schauspiel und fürnehmlich dahin mißbraucht worden / daß es solt seines Wercks halben ein Verfühnopffer seyn für die Sünde der Lebendigen und der Todten. Auff der andern Seiten ist es dahin gedeutet / als ob darinnen der warhafftige Leib und das warhafftige Blut Christi nicht gegenwertiglich aufgetheilet würde. Quibus rejectis jubet, daß die Lehre von dem Sacrament stracks nach vermögd des Worts Christi im Nachtmahl / wie solches in der Augspurgischen Confession und in der Apologia erkläret / gereichet werde. Nehmlich daß in dem Nachtmahl Christi der wesentliche Leib und Blut Christi warhafftig und gegenwertiglich mit Brod und Wein aufgetheilet / empfangen und genossen werde. Nec ministros tantum Lutheranos in patria nostra instituit Sulcerus, sed in eorundem quoque doctrinam & mores, obita subinde, quæ ex illo instituto adhuc hodie apud nos superest, accurata Ecclesiarum visitatione & celebratis solennibus Synodis, quarum in his Epistolis non raro meminit, inquisivit. Durlaci, inquit, Epist. XLII. Part. IV. reperi per DEI gratiam doctrinam sinceram, id est, qui tum loquendi mos fuerat, fermento Calviniano non infectam, & in eâ consentientes ministros,

Princi-



*Principem pientissimè erga religionem affectum, apud quem non difficulter, quæ petebam, obtinuisse mihi videor, quia benignè promisit favorem & curam eorum, quæ ad Ecclesiam & Scholam pertinent.*

IX. In Academiâ Basileensi Erasmus & Philippus Marbachii, Theologi magno contra Calvinianos Spiritu præditi filii, qui in Academiis Tubingensi atque Rostochiensi & ipsi frequenter contra Calvinianos disputaverant, inque hac per consueta examina Licentiam, ut vocant, Theologicam adepti fuerant, in Theologiæ Doctores solemnibus ceremoniis fuerunt promoti. Quod eruditionis decus & postea, A. D. M D LXXXIII. Joanni VVinkelmanno, postquam pro inaugurali disputatione veram Christi in cœna præsentiam contra Batavum quendam defenderat, in eadem Basilea collarum fuit. Id verò non potuisse fieri, nisi in Academia publica professione Lutherana, rectè asserit loco allegato *Jo. Schmidius*. Eos se, *ut germanos filios agnoscere & diligere*, Epist. CCLV. Part. IV. ait Sulcerus & Coccius, tum Decanus, hoc eos testimonio, Academiæ nomine, prosequitur: *Dn. Philippus Marbachius*, (id verò, quod Erasmo impertit, paucis ab hoc verbis differt) *clarissimi viri, Domini D. Marbachij, Argentinen- sis Ecclesia Superintendentis, Filius, cum ab in eunte atate se studijs Philosophicis ac sacris, parentum voto supremo ac exoptatione, consecrasset, in patriâ per celebri ingenij ac cognitionis, modestiæ, pietatisque felicia documenta dedit. Mox Basileam missus artium ac S. Scripturae cursum sic continuavit præclarè, ut magisterij Philosophici testimonium amplissimum ab ordine publicè obtinuerit. Inde se recipiens Tubingam, seracem institutionis, ceu Athenæ in illis, agrum audiendo, exercendo, in divinis potissimum, usque adeo Theologis eruditissimis, Dn. Jacobo Andrea atque Jacobo Heerbrando, juxta alios placuit, quod ipsum sine publico instrumento, omni laude & commendatione pleno, dimittere noluerint. Contulit autem se, quo & alias Ecclesias & Academias cum ipsarum DOCTRINA VERA ac vixit, justâ videre, cognoscere, nec non uberrimum fructum percipere possêt, Rostochium, (alias rosarum urbem dictam) in cujus*

Gymnasio frequenti ordinarios Doctores, (è quibus honoris ergo Davidem Chytraum, Simonem Pauli nomino, viros de literis & pijs omnibus bene meritos) audivit ac eo usque profecit, ut Licentias, sic vocant, adipiscendorum ornamentorum cum titulo supremi gradus, ubicunque terrarum deinceps universitate privilegij instructa adlubesceret, obtinuerit. Ne verò affectu juvenili potius quam maturitate ad hac contenderet, visum est ipsi, Parente <sup>et</sup> <sup>id</sup> <sup>est</sup> prudentissimo sic consulente, diutius expectare, totoque sexennio Gracia Stiria, quo legitimam vocationem habuit, privatis studijs, meditationibus & prælectionibus publicis ac exercitiis incumbere, ut, quæ antea laboribus multis percepta, nunc non minoribus vigilijs confirmarentur, cumularentur. Jam verò cum ad obeundam functionem iterum certam in Scholâ vocationem habeat, cupit ei tanto majore existimatione præfici, quo pluribus profit, quanto probatorum hominum & doctorum testimonia, <sup>et</sup> <sup>id</sup> <sup>est</sup> <sup>est</sup> instar, apud rectè sentientes de ordinibus, valere novit. Repedavit ergo ad nos, quos olim habuit Præceptores, (in quorum numero clarissimum virum, Dn. D. Simonem Sulcerum, etiam in hospitem elegerat, <sup>et</sup> <sup>id</sup> <sup>est</sup> <sup>est</sup> Ecclesiarum ac Scholarum nostrarum; Quomodo autem præfici poterat Ecclesiis & Scholis, publica professione Calvinianis, caput, professione publica Lutheranum?) ac DOCTORÆ nomen, & quæcunque potestate concessâ à Dn. Cancellario gradui huic competunt universa ac singula, declarato novo quæstionis proposita specimine, hic & ubique terrarum valitura, facile impetravit, accepit. Quod felix faustumque velit DEUS P. aternus Domini nostri JESU Christi, Filij aterni dilecti, <sup>et</sup> <sup>id</sup> <sup>est</sup> <sup>est</sup> Spiritus S. Acta sunt hæc magnâ solennitate in Collegij nostri aulâ novâ, d. 12. Maji, 1579. Quid? Quod idem Coccius ex eo, quod iidem Marbachii, auctore Parente, posthabitis aliis Academiis Basileensem elegerint, ubi insignia Doctoralia susciperent, utriusque Scholæ & Ecclesiæ conjunctionem sibi & Ministerio Basileensi gratulatur, eamque perpetuam fore & optat & sperat. Nobis, inquit, pergratum est, quod, ut omni hæctenus tempore, & Ecclesiam & Scholam nostram

in sin-

*in sincerâ doctrinâ conjunctam cum vestrâ voluisti, ac quantum potes, potes autem plurimum, id ipsum adhuc studes. Nec dubites, quin verè promittas tibi, nos idem precibus flagitare à Domino & oblatâ occasione reipsâ declaraturos, donec noster non tantum naturalis sed divinus spiritus hos reget artus ac quadraginta annis multis confirmatam fovebit.* Verba ex epistolâ Calendis Majis Anno MDLXXIX. scriptâ exhibet Joannes Schmidius.

Quæ cum ita se habeant, falsum citra dubium est, quod non-nemo quondam B. Schmidio opponere non dubitavit: à principio reformationis in Ecclesiâ Basileensi nullam aliam de sacrâ Domini cœnâ doctrinam, quam qualis hodiernum viget, floruisse. Si enim ea Ecclesiæ alicujus doctrina non immeritò censetur, quæ ore ministrorum pro suggestu vel cathedrâ publicè prædicatur, quam cateri vel non repugnando vel apertè consentiendo probant, tunc certè à tempore reformationis ad mortem usque Sulceri atque Cocci, quando Jo. Jac. Grynæus & Amandus Polanus, juxta Epist. LIIX. Part. VI. *Basilea singulari fato prætoria & prope regiam in Ecclesiâ & Academiâ obtinere auctoritatem,* nulla alia viguit de SS. Domini cœnâ doctrina, quam qualis Lutheri fuit, qualis Argentinensis Ecclesiæ, vivente Marbachio, erat, qualis denique in patriâ nostrâ, quæ inde primos ministros desumpsit, hodieque sonat, id est, Lutherana, non verò talis, qualis hodie ibi viget, Calviniana.

Quamquam verò viventibus Sulcero & Coccio quidam etiam Calvinianarum partium ministri clam se in Ecclesiam & postea etiam in Academiam insinuaverint, (inde enim est, quod in Epistolâ supra allegata Coccius ad constantiam quidem fratrum suorum, NON TAMEN OMNIUM, provocat) inde tamen Ecclesia atque Academia ipsa perinde Calviniana non redditur, ac reddita non est Calviniana Argentoratensis Ecclesia, ob unum alterumque Martyrem, Zanchium, Piscatorem, pluresque in Senatu, Zwingliano errori faventes, reclamantibus cæteris, ut & Basileæ factum est. Fuerat enim Sulcerus Theologorum Basileensium

leensium princeps, miti equidem moderatissimoque, ut omnes ferè epistolæ produnt, ingenio, adeò ut non facile, nisi apertos & contumaces sectarios, è cœtu suo excluderet. Unde factum est, ut Confessionem de Cœnâ Lutheranam, juxta Epist. cclvi. Part. IV. *temporum, loci & personarum rationi quidem, sed ita attemperatam, ne veritati deesset*, transfusam in plura exemplaria, senatui quidem exhiberet, non tamen excuderet typis, ut, (quod vir optimus sperabat) & *minus occasionis esset adversarijs eam arrodendi & avidius expeteretur & perlegeretur diligentius*; quam equidem evulgari & ex publicâ luce auctoritatem dogmati accedere fatius fuisset. Joannem etiam Jacobum Grynæum, qui Calvinismum Heidelbergæ palam professus fuerat, ex amore, quo parentem patruumque persecutus erat, in tantum foveret, ut & in Ecclesiam atque Scholam Basileensem ascisceret, & postea pro ipso apud Electorem, ut habet Ep. XV. Part. V. sollicitè intercederet. Sed isthac ratione effectum est, ut suppressâ paulatim Sulcerianâ atque Cocciana doctrina, Calvinismus, post mortem in primis Sulceri, cui successit Grynæus, plenè emergeret, (vide epistolâ xcvi. part. v.) divisasq; antea Helveticas ecclesias reduniret. Nam antea Sulceri, tanquam primarij Lutheranæ confessionis Helvetiorum Theologi, (quo sensu eundem Mart. Frechtus, *Bonum Nathaneelem*, integræ nempe fidei inter tot alios, haud recto pede incedentes, Helveticarum Ecclesiarum ministros, Doctorem appellat, Ep. XVI. Part. II.) opera communio cum Tigurinis, tanquam impura dogmata sectantibus, nulla, cum Argenteratensibus verò, tanquam ejusdem doctrinæ sociis, sancta semper & inviolata culta fuerat. Finem itaque Lutheranæ fidei professio publica, (privatim enim plurimos longo post tempore mansisse Lutherò addictos, in vulgus adhuc notum est, & amplius ex Præfatione enitescit, quam libello suo: *Gründlicher und warhaffter Bericht* / contra Grynæum atque Polanum, A. mdc. *Joannes Weiningerus*, superioris Marchionatus nostri quondam Generalis Superintendens, præfixit) cum morte religiosissimi  
Theologi

Theologi, SIMONIS SULCERI, accepit, cui haud immeritò Ecclesia Basileensis hoc in Epiraphio scripsit encomium :

SIMON SULCERUS,  
ÆDIS HUIUSCE PER ANNOS XXXV. VERUS  
VIGILANSQUE ANTISTES.

UTRAQ. MANU VINEAM DOMINI SUI EXCOLUIT.  
SCHOLAM THEOLOGICAM EREXIT ATQUE REXIT.  
FIDA DOCENDI ASSIDUITATE SUSPICIENDUS.  
VITÆ SANCTIMONIA ET PROBIS MORIB.  
IMITANDUS.

XXXIII.

## JOACHIMUS MORLINUS.

- N**atus, 6. Apr. 1514.  
Institutus VVittebergæ, variis in locis Ecclesiastica officia obit, VVittebergæ, Illebiæ, Julini, Arnstadii, Gottingæ, Schleussingæ. Donec ab Alberto Borussiæ Regiomontem in Scholam publicam vocaretur. 1551.  
Cum Osiandri novæ doctrinæ contradiceret, invitâ plebe ejecit. 1552.  
Ad regimen Ecclesiæ Brunsvicensis vocatur, collega M. Martino Chemnitio. 1553.  
Revocatur in Borussiam & fit Episcopus Sambienfis. 1566.  
Regiomonti coastâ Synodo, ipse cum D. Chemnitio & Georgio Veneto, de reliquiis Osiandrismi cognoscunt & pronunciant. 1567.  
Moritur ex calculo sub initium anni. 1571  
De eo D. Luc. Osiander, Cent. XVI. lib. III. cap. LXVII.  
*Joachimus Mörlinus, Theologia Doctor, vir Divino Zelo præditus & veritatis cælestis propaganda & defendenda flagrantissimus. Meminit & ejus lib. 50. Jac Aug. Thuanus.*

XXXIV.

XXXIV.

## LUCAS OSIANDER,

**N**atus Patre Andrea Osandro, Norimbergæ, in Decembri, anno

1531.

Dedit sese studiis Norimbergæ primum, deinde Regiomonte Borussorum, vocatus primum ad Diaconatum Gœppingensem, sub Pastore Jacobo Andrea.

1552.

Biennio post Pastor & Superintendens Blavifontanus, tum Stutgardianus ad S. Leonhardi, porrò concionator aulicus & Ecclesiastici Consistorii Adseffor, Iterum Abbas Adelbergensis, & denique Pastor Imperialis Esslingensis factus,

Edidit Commentarium in S. Scripturam, Institutiones Christianæ religionis, Epitomen Historiæ ecclesiasticæ, Postillam Evangelicam & Cateheticam, variaque contra Pontificios, Calvinianos, Svencfeldianos, Puccium, Huberum, Sturmium,

Interest Colloquio Maulbrunnensi, ut Notarius,

1564.

Montisbelgartensi item,

1586.

Ratisbonensi,

1594.

Reliquit Filios in publicis officiis constitutos, privignum D. Polycarpum Leiserum, ex prima conjuge: D. Andream Osandrum, Abbatem Adelbergensem; Johannem, Pastorem Marpacensem; & Lucam, Leobergensem.

Dimissionem Esslingæ ab officio suo ob languorem corporis impetrat & Stutgardiam concedit,

1603.

Moritur 17. Septembr,

1604.

Hæc *Jo. Magirus*, in concione funebri, Laudant Osandri ingenium, industriam, excellentem doctrinam, labores utilissimos, dexteritatem insignem, magnum studium, judicium accuratum, Decanus & Facultas studii Theologici in Academiâ Tubingensi,

bingensi, in Judiciis, cum S. Bibliorum illustrationi, tum Epitoma Historiæ Ecclesiasticæ præfixis.

XXXV.

## JEREMIAS HOMBERGERUS.

- Ritissariæ natus, anno. . . . . 1529.  
 Postquam ad maturitatem studia sua deduxit, gradumque in Theologia summum consecutus est, primum Scholæ Francofurtanæ Rector factus, sed ibi à Calvinianis, quibus juxta Epist. CXV. Part. III. se singulari vehementia opposuerat; expulsus, partim in Suevia, partim in Misnia Ecclesiasticas functiones obit, vocatus denique Lauinga Græcium in Stiriam, Jesuitas inimicos habet, variasque ibi persecutiones & calamitates à Pontificiis sustinet. . . . . 1581.  
 Subscriptiones Form. Conc. ministro. Carinth. procurat. . . . . 1582.  
 Tandem pulsus Ratisbonæ privatam agit vitam & in variis lucubrationibus senectutem consumit. . . . . 1589.  
 Græcium non sine periculo revertitur, sed non diu toleratur. . . . . 1591.  
 Quo anno, aut non multo post, Philippo Marbachio Argentoratum translato, arthriticus vitam cum morte commutat.

Eruditione viri motus Jo. Marbachius, auctor Petro Patienti fuit, ut in locum Hartmanni Beiery, Ministerii Francofurtani Senioris, vocaretur. Atque is quidem à ministris, ut habet epistola CCXXXII. Part. IV. Senatui nominatus, sed *ob spiritus vehementiam*, & quod ministri quoque *metuerent, ne ministerio gravis accideret ea, quam præ se ferebat, auctoritas*, receptus non est.

est. In Stiriâ quoque & Carinthiâ, atque passim alibi tantum omnium in se odium expertus, ut de seipso scribat, ep. LXXIII. Part. V. *Est alioqui singulare fatum meum, quod ab ipso die, quo in hanc terram vocatus veni, ferè omnibus cum Stiris, tum eorum socijs, invisus sum, quod implacabile odium quidam ex fratribus & consortibus semper oleo igni infuso augere & ad summum vigorem evehere studuerunt & adhuc impia huic opera omnium diligentissimè incumbunt. Patientiâ meum animum cohibeo, fructum laborum ex DEI benedictione expectans.* Quare ultimò ad magnam paupertatem redactus, inque molestissimo exilio, ab omnium penè hominum consortio, vivere coactus, ingemuit, epist. xcvi. Part. V. *Juvenis manere nolui, senex ubi maneam, non invenio. Lacrymis meis conscientia justum DEI judicium obijcit. Verum de his satis.*

## XXXVI.

## EBERHARDUS BIDEMBACH.

**N**atus Grunbergæ in Hassiâ, 2. Jul. anno . . . 1528.  
Cum diligentia atque dexteritate studiorum Doctoris titulum promeruisset, Pastor primum Vayhingensis in Ducatu VVürtembergico, deinde primus Abbas Evangelicus Bebenhusanus factus, per XXXVI. annos id officium administrat.

Colloquio cum Samuele Hubero Ratisbonæ instituto, una cum Christophoro Bindero, Lucâ Osiandro & Jacobo Heilbronnero interest. . . . . 1596.

## XXXVII.

## WILHELMUS BIDEMBACHIUS.

**G**runbergæ in Hassiâ natus, 2. Novembr. anno . . . 1538.  
Theo-



- Theologiae Doctor creatus, primò artium in Academia Tub. Professor, deinde Pastor ad S. Leonhard. Sturgardiae, tum cathedralis Ecclesiae Sturgardianae Antistes, Synedrii Ecclesiastici Adfessor & Sereniss. Ducis Consiliarius factus. 1563. f.
- Argentoratum in ministerium & ad professionem Theologicam vocatur, sed à Principe non dimittitur. 1569.
- Moritur Bebenhusii apud fratrem 6. April. 1572.

Eximium huic Bidembachio præ cæteris ingenium obtigerat, cui cum multa lectio & acre circa lecta iudicium jungeretur, fieri non poterat, quin quæ in publicum emmittebat, ab omnibus magni æstimarentur. Cumque ex iis, quæ contra Calvinianos disputaverat, facile appareret, si vita ei longior foret, quo successu errores ipsorum esset impugnaturus, nihil ipsis laude dignum totâ vitâ fecit, quam quod immatura morte hinc est sublatus. Quare *Rodolphus Hospinianus*, qui bonos doctosque viros, bellum cum Calvinismo gerentes, quasi dedita opera sibi sumpserat exagitandos, non poterat, quin & mortuo Bidembachio insultaret, objectans ei, quod melancholia correptus, (quasi is affectus nemini unquam Calvinianorum molestus fuisset) perierit: *Guilielmus Bidembachius*, inquit, *Sturgardianæ Ecclesie Antistes, Brentij successor, qui orationem funebrem in sepulturâ Brentij habitam, unâ cum infausto Testamento ejus in lucem edidit, melancholiâ mense Aprili correptus, ad fratrem suum, Abbatem Bebenhusanum, se contulit, ibique 6. Aprilis miserrimè periit, non sine suorum magno mærore, qui illum plurimi fecerunt, quod acerrimus Zwingliano- rum hostis fuisset; quo nomine quoque à Jacobo Andrea plurimum in oratione funebri laudatus fuit. Variæ autem multorum (Zwingliano- rum imprimis, quibus ægrè fecerunt viri lucubrationes) de mortis ejus genere fuerunt judicia. Quæ indigna homine Christiano, nedum Theologo, judicia à gravitate Historici longissimè debebant esse aliena.*

## XXXVIII.

## BALTASAR BIDEMBACHIUS.

<b>N</b> atus Grunbergæ in Hassia, à Parente studiis unâ cum fratribus, Eberhardo & VVilhelmo, dicatur, in quibus eos facit progressus, ut primo concionator aulae Stutgardianæ, deinde post mortem Brentii Ecclesiæ Præpositus constituatur.	1570.
Interest colloquio Maulbrunnensi.	1564.
Una cum D. Osiandro scriptum componit, quod Formulæ Concordiæ fundamentum futurum erat.	1568.
Ecclesias Palatinas ab erroribus Calvinianis iussu Electoris reformat.	1577.
Moritur.	1579.

Quod de *Wilhelmo* Hospinianus, idem de *Baltasare* Theologi Heidelbergenses ferunt iudicium, in der Gegenwarnung an D. Luc. Osiandrum: **Er hat einen elenden Ausgang gewonnen/nach dem er Anno 76. und 78. auß seinem Beruf geschritten und sich die unschuldige fromme Kirchen und Schuldicker in Chur-Pfalz zu verdammnen unterwunden.** Duo ei objiciunt: ἀδοξαρισμίας & miserabilem vitæ exitum. Utrumque more Calvinianis jamdiu consueto. Cum enim ferre non possint, errores eorum detegi, publicè refutari, præfractè errantes rejici, eorumque locum, volente atque jubente magistratu, supplere orthodoxos, ἀδοξαρισμίας est, quisquis operam huic rei suam locat, quantumvis centies vocatus & quasi compulsus accesserit. Intolerabile est, ἀδοξαρισμίας crimen audire, ubi nihil egeris, nisi vocatus. Detestabile est, ἀδοξαρισμίας flagitio infamare eum, quem Princeps, ut accederet, ut hoc faceret, rogaverat, requisiverat, jusserat. Poterat quietius domi suæ manere Bidembachius & rerum suarum, quas in amplissimo officio plurimas habebat, satagere. Poterat valetudinem suam, quam infir-

infirmam jam tum expertus erat atque ideò, rebus Ecclesiæ nondum perfectè dispositis, ad suos discesserat, curare. Sed quis Calvinianorum, à Principe in Ecclesia Lutherana Calvinismum amplexo vocatus, sepositis aliquantisper ordinarii officii functionibus, nihil metuens <sup>in d. o. t. c. i. o. t. i. o. n. i. s.</sup> delictum, non accederet & Ecclesiam, quantum in se est, veneno Lutherano liberaret? Quis in eo negotio pietatem suam DEO & industriam hominibus demonstrare renueret? Edidere equidem Calviniani diligentia suæ non in Hassia tantum, Anno 1605. sed in ipso Palatinatu, Jo. Casimiro imperante, ministros Lutheranos expellendo, memorabile specimen. Quod igitur illi dum faciunt, infami <sup>in d. o. t. c. i. o. t. i. o. n. i. s.</sup> peccato traduci ægerrimè sustinent; quæ frons est, aut quis candor nostris objectare? Irreligiøsæ verò & profanæ mentis est, criminari mortis genus atque ex ægritudinis mortem antecedentis horrore ferre iudicium de religione vel vitâ morituri. Quem enim in febribus ardentibus, aut passionibus colicis, aut affectibus melancholicis, horrorem viventibus non incutiunt etiam ii, qui dum moriuntur, totius mundi testimonio innocentissimè inculpatissimeque vixerunt? Sanctius piissimus Theologus, quem sibi libentissimè vindicarent Calviniani, *Simon Sulcerus*, epist. c. c. xxxviii. Part. IV. de Bidembachio ad Marbachium: *Nunc accipio Stutgardia laborare virum optimum & reverendum, D. M. Balt. sarem Bidembachium, gravi & periculoso morbo, & sicut die hodiernâ quidam nunciavit, etiam tentationibus turbari, ut sim in metu, ne melancholicis affectibus afficiatur. Unde dolorem etiam graviozem traxi, cum constet, quam eximium sit DEI organum, & proinde piorum omnium votis supplicibus debeat Christo commendari, vero sospitatori. Faxit Dominus Jesus, ut viri huius præstantissimi operâ, fide, dexteritate diutius frui Ecclesia possit.*

XXXIX.

FELIX BIDENBACHIUS.

1 2

Natus

**N**atus Studgardiae, Patre VVilhelmo Bidembachio,  
cathedralis Eccles. Antistite.

1564.

Studijs Tubingæ operam locat, ex qua primo ad con-  
cionatoris Ecclesiastici munus Stutgardiam vocatur,  
postea verò Abbas Adelbergensis, denique Maul-  
brunnensis & quartus Generalium constituitur. In  
quo ipso officio Doctoris quoque titulum assumit.  
Variis scriptis, imprimis collectis Consiliorum Theo-  
logicorum decadibus, celebris.

Subitanea morte obit.

1612.

## XL.

## NATHAN CHYTRÆUS.

**N**atus patre Matthæo Chytræo, Pastore Menzingen-  
si in Craichgoia & matre Barbara Neubergin.

1543.

Educatus cum fratre Davide Chytræo, in studiis ita  
proficit, ut in collegium Professorum Philosophico-  
rum Rostochii allegeretur.

1568.

Moritur post editos varios ingenii sui, imprimis in Poësi,  
foetus, anno.

1598.

## XLI.

## CHRISTOPHORUS FISCHERUS.

**Q**uo anno vel natus fuerit vel mortuus, monumen-  
tis, quibus id sciri queat, destituor. Ut ex epi-  
stola CXLVIII. Part. III. apparet, A. D. M D LXVIII.  
Ecclesiæ Smalcaldensi inserviit. Ex editis verò ab ipso  
libris patet, eum postea Pastorem Cellensem & Du-  
catus Lunæburgensis Generalem Superintendentem

factum

factum esse. Condidit enim Commentar. in Psalmos, Harmoniam Evangelistarum, Tractatum de Coena und Treuerhige Warnung vor denen falschen Propheten: Anno 1575.

## XLII.

## JOANNES PFEFFINGER.

- N**atus Belgræ in Bavariâ sub annum Christi . . . 1493.  
 A prima adolescentia literis imbutus, repudiatis Pontificiorum superstitionibus, VVittebergam venit, ibique Lutherum atque Melanthonem audit. . . 1522.  
 Mortuo Georgio Saxoniae Duce, eique succedente Henrico, Lipsiam vocatur, ibique Ecclesias ductu Lutheri in statum Evangelicum tanto successu & celeritate convertit, ut cum Paschali tempore Pontificii fuissent Lipsienses, Pentecostes festo Evangelium pleno ore profiterentur. . . 1539.  
 Cum ibi inter varias turbas & bellicos motus, interque religionis dissidia, ut Pastor ad S. Nicol. & Ecclesiae Lipsiensis Antistes, docuisset, moritur anno ætatis octogesimo, quamquam alii septuagesimum & octavum nominent, ministerii quinquagesimo quinto, 3. Januar. . . 1573.

Fuerat & hic Pfeffingerus Melanthoni religiosissime addictus. Unde tempore religionis Interimisticae multa Pontificiis concedens, reliquorum Theologorum, imprimis Flacii, gravem censuram sustinuit. Quem proinde etiam Argentorati exulantem inimica epistola persecutus est. Ep. CLV. Part. III. Cui verò Epist. I. Part. III. (quæ ex errore in annum 1560. irrepit, cum inserenda fuerit anno 1569.) ita responderunt Ecclesiae Argentoratis

tensis ministri, ut haud obscurè Theologorum Lipsiensium in religione teporem perstringant, nec aliter fraternam in fide communionem cum illis colere paratos se esse ostendant, quam si doctrinam, in Aug. Confessione comprehensam, scriptisque Lutheri & aliorum Theologorum, quibus illo tempore cura & administratio Ecclesiae comissa sit, illustratam, pari, quo Argentoratenses, studio defendant. Qua viri moderatione effectum est, ut cum ob idolum Interimisticum genuini Ecclesiae antistites ubique pellerentur, ipse totos annos quinquaginta imperturbatus officio suo fungeretur, magnamque ista meritorum suorum diuturnitate sibi auctoritatem acquireret. Deserunt igitur demortuum par Poëtarum insigne, *Gregorius Bersmannius & Petrus Lossius*: è quibus ille hoc Pfeffingero carmen cecinit:

*Qui Pfeffingeri similes in imagine vultus  
Aspicis, Hospes, & haec perlege scripta memor.  
Bavaria dedit hunc tellus in luminis auras,  
Quem vitâ functum Lipsia condit humo.  
Dicere longa mora est, per quot discrimina rerum  
Hunc exercuerit demonis ira trucis.  
Finibus extorrem patria, pressumque suorum  
Invidiâ, atque odijs, turba profana, tuis.  
Dum venale Papa caelum, missamque perosus,  
Mavult esse tui portio, Christe, gregis.  
Cui se doctrinâ studio, sanctoque labore,  
Atque operâ curâ, consilijque fide  
Addixit, moderansque scholas & templa gubernans,  
Haud gravis imperij fulmine, pacis amans.  
Testis erit juveni vita sine labe peracta  
Leucoris & secli fama, Luthere, tui.  
Et tu religionis apex, Divine Melanthon,  
Et tu, qui clarum de cruce nomen habes.  
Postque hos consilij consors, sociusque laborum,  
Tu quoque adhuc nostra spes, Joachime, schola.*

Orba sui luget pastoris Lipsia fatum,  
 Amissumque gemit Misnidos ora patrem.  
 Salve, Sancte Senex, decus ô venerabile morum,  
 Salve, caelestum consociate choris.

Hic verò sequenti eundem ornavit epicedio :

Eximium patriæ decus & pia fama suorum  
 Ille ego sum populi, Lipsia clara, tui.  
 Qui verbis potui mollire adamantina corda,  
 Solvere qui curis tristitiaque graves.  
 Exemplum fueram morum & pietatis honestum,  
 Id quoque nunc culta posteritate probò.  
 Invide, dic de me nunc quidlibet, ipse ego junctus  
 Nunc Christo longè sum meliore loco.

Lucas verò Ostander Cent. XVI. libr. III. cap. LXX. his ei  
 verbis parentat : Jo. Pseffingerus, Theologia Doctor, Ecclesia  
 Lipsensis Pastor, atatis suæ LXXIIX. Hic sub Interim non præsti-  
 tit constantiam Theologo dignam. Multa enim, secutus consilia  
 Philippi, Pontificijs concessit, qua illis non fuerant concedenda. Ima-  
 ginem viri, austerâ gravitate conspicui, exhibet & opera ab eo in  
 publicum edita recenset Jo. Jac. Boissardus, Part. IV. Ic. XIII.

## XLIII.

## JOANNES PAPPUS,

Natus Lindaviæ, Patre Hieronymo Pappo, Consule  
 & Barbara Funkia, 16. Januar. 1549.  
 Institutus in schola patria, Præceptore Martino Bre-  
 mio, Ysnensi, ad Academiam Argentoratensem pro-  
 ficiscitur. 1562.  
 Tubingam profectus mense Septembri primam in Phi-  
 losophiâ lauream consequitur. 1564.  
 Comitum

Comitum Falkensteinensium filios informat.	1566.
Revocatus in Academiam eos in Theologiâ progressus facit, Doctore præcipuè Joanne Marbachio, ut primo Diaconatus Reichenvillanæ Ecclesiæ, sub Pastore Nicolao Cancerino, ipsi concrederetur.	1569.
Deinde vocato Argentinam lectio Hebræa & concionatura, ut vocant, libera, atque paulò post Theologica professio demandarentur.	1570.
Philosophiæ magister proclamatur Basileæ.	1571.
Doctoris Theologi decus assumit Tubingæ.	1573.
Matrimonio sibi copulat Mariam Magdalenam Linsiam, ex qua unicum filium, paterna vestigia prementem, Joannem, suscipit.	
Occasione disputationis de caritate Christiana grave ipsi & multorum annorum bellum cum Jo. Sturmio, ex publicis scriptis notum, intercedit.	1578. f.
Pastor fit summi templi,	1578.
Conventus Ecclesiastici Præses,	1581.
Colloquio Emmendingensi interest.	1590.
Augustam ad componenda ibi cum Nicolao Selneccero disidia abit.	1591.
Pastoratu se summi templi abdicat.	1593.
Moritur, 13. Jul. anno.	1610.

*Jo. Micralius* in Syntagmate Historiarum Ecclesiæ, eo loco, quo catalogum doctorum in Lutherana Ecclesia recenset, de Pappo: *insignis Argentinensium Athleta adversus Rectorem Academicæ, Jo. Sturmium, Rhetora Calvinianorum, & ob turbas datas tandem ab officio remotum*, (turbonem verius quam Theologum ideò vocat *Jo. Hoornbeekius*, Summ. Contr. lib. IX. p. 653. quia nempe, quod officii ipsius fuerat, Calvinianos, Argenteratensem Ecclesiam turbantes, coercuerat.) *Epitome historiæ Ecclesiastica clarus*. Eum suo equidem merito *virum magnum* vocat *Jo. Contr.*



*Conr. Dannhauerus*, Part. II. Spec. Theol. Symb. Dial. III. cap. I. sive divinam prorsus ingenii excellentiam, sive acre iudicium, sive præcurrentem semper annos & vastam variarum rerum eruditionem, sive in legendo copiam, sive in scribendo elegantiam, sive prudentiam in agendo, sive in religionis sensu puritatem, sive in officio parrhesiam & dexteritatem, sive indefessam industriam, sive animi pietatem atque ex istis evalescentia in Ecclesiam Argentinensem merita, quam imperterrito animo adversus hostes veritatis acerrimos pariter atque potentissimos, post Joannem Marbachium, in veritatis confessione retinuit, quæ laudes huic viro quasi propriae sunt, spectes. Quæ omnia ex Epistolis nostris clarius, quam ex nitidissimo quovis speculo, elucent.

## XLIV.

## JACOBUS HEERBRANDUS.

- N**atus Gengæ Noricorum, Patre Andrea, & Matre Barbarâ Martini, 12. Aug. 1521.
- Ludo commissus anno ætatis septimo, pietati & studiis operam dat. Tum Ulmam deducitur. 1537.
- VVittebergæ Lutherum atque Melanthonem audit, Joannem Bugenhagium item, Crucigerum atque Georgium Majorem, tantâ animi diu noctuque contentione, ut vulgo *Suevica Noctua* diceretur. 1537.
- Magisterii gradu ibidem ornatur. 1540.
- Quinquennio VVittebergæ consumpto in patriam redit, & ad Diaconatum Tubingensem promovetur. 1544.
- Ducit Margaritam Stammleriam, ex eaque undecim liberos suscipit. 1547.
- Dimittitur ab officio ob non approbatum Interim, eoque tempore Præceptore Osyv. Schreckenfuchsis Hebrææ linguæ dat operam. 1548.  
Revo-

Revocatur à Christophoro Duce, & parochiæ atque inspectioni Ecclesiarum Herræbergensium præficitur.	1550.
Doctoris Theologi decus, competitore Jacobo Beurli- no, ei confertur.	1550.
Ad Concilium Tridentinum mittitur.	1551.
Marchionatum Badensem, à Carolo vocatus, cum D. Jac. Andreae & Sim. Sulcero, ad Evangelicum morem reformat.	1556.
Ad professionem Theologicam in Academiam Tubin- gensis vocatur.	1556.
Contra Petrum à Soto scribit.	1558.
Templi Tubingensis Decanus & Ecclesiastes constitui- tur.	1561.
Præpositus fit Ecclesiæ & Academiae Cancellarius, & Principis Consiliarius.	1590.
Resignat ob virium imbecillitatem officium.	1598.
Moritur 22. Maji.	1600.

*Matthias Hassenrefferus, in Progr. funebri, viri pietatem insignem, præstantem eruditionem, humanitatem, justitiam, pacem, aliarumque virtutum nobilissimum chorum, dilaudat, eumque Jacobo Patriarchæ conferens: hic, inquit, fuit Jacobus ille, quem Dominus Ecclesiæ suæ, in Aegypto tristissimâ peregrinanti, singulare columen, gaudium & ornamentum dederat. Hic verus fuit Israël, qui non tantum sincerâ & constanti fide bonum certavit erga Deum certamen: sed & voce calamoque suo plurimos Ecclesiæ hostes & acerbissimos DEI adversarios, Jesuitas cum primis, fortissimus & felicissimus victor debellavit. Non enim vivâ duntaxat voce, per annos quadraginta tres, fidelissimam & longè utilissimam operam navavit, adeò ut dictis scriptisque suis doctissimis copiosissimam prolem DEO procreavit & gratiâ spiritusq. Divino etiam mortuus, in scriptis vivens, ad seros usque mundi annos sit procreaturus.*

## XLV.

## HIERONYMUS MENCELIUS.

- N**atus Svidnicii Silesiorum, Patre Joanne Mencilio, pannifice, Matre Annâ Stenzelia, quæ gravida cum incidisset in Hieronymi historiam, ea delectata vovet, infantem se marem futurum Ecclesiæ ministerio tradituram. Quare & Hieronymi ei nomen imponit, 22. Febr. 1517.
- Septennis in scholam introductus, undecennis ob incendium paternas ædes corripiciens, schola abesse cogitur & pannificio admovetur. 1528.
- Scholæ iterum vindicatur. 1531.
- Ad pannificium rediturus singulari DEI providentia in scholam Goldbergensem ad Val. Fridl. Trozendorffium deducitur. 1535.
- Inde VVittebergam. 1539.
- Postea octo Juvenes nobiles Lipsiæ informat, in domo D. Bernh. Ziegleri. 1541.
- In scholam Islebiensem vocatur. 1542.
- VVittebergæ inter competitores ss. primus magisterii gradu ornatur. 1551.
- Eidem Scholæ, ut Conrector, præest. 1551.
- Constituitur Pastor Islebiensis. 1553.
- Ejusdem Ecclesiæ post discessum Erasmi Sarcerii Generalis Superintendens. 1560.
- Conjugium primum contrahit cum Helena Beichlingia. 1544.
- Alterum cum Anna Fuchsia. 1569.
- Tertium cum Catharina Schüzenia. 1579.
- Moritur 25. Februar. & in æde S. Andreae Islebiæ sepelitur. 1590.
- Cum Divinus Ecclesiæ repurgator Lutherus Islebia oriundus fuerit, ejus Ecclesiæ ministri sedulam semper operam dederunt, ut depositum verbi Divini, à fecibus Romanis purgati, integrum invio-

inviolatumque conservarent. Quare, duce Erasmo Sarcerio, Anno MDLIX. Confessionem ediderunt, nomine Comitum Mansfeldensium juniorum, wider alle Secten, Kotten / und falsche Lehren / wider Gottes Wort / die reine Lehre D. Luthers seeligen / und der Augspurgischen Confession, an etlichen Orten eingeschlichen / mit nothwendiger widerlegung derselben. Sunt autem sectæ illæ Anabaptistarum, Servetistarum, Stankatistarum, Antinomorum, Jesuitarum, Svencfeldistarum, Sacramentariorum, Osiandristarum, eorum, qui abutuntur doctrina de libero arbitrio, reducentium doctrinam de necessitate bonorum operum ad salutem, & Adiaphoristarum. Hujus sui antecessoris vestigia secutus Hieron. Mencilius, congregata Mansfeldica Synodo, die Mercurii post festum S. Michaelis, anno MDLXIV. eandem confessionem unanimes ministrorum confessione non tantum confirmavit, sed & contra recentiores quosdam impuriorum dogmatum assertores edito grandi libro adauxit. In ea judicium fertur, I. de libro D. D. Pauli Eberi; de SS. Cœna Dominica. II. De erroribus catechismi Palatinatus. III. De D. Georgii Majoris præfatione. IV. De renovatâ Joannis Agricolæ Illebiî Antinomiâ & aliis erroribus. V. De Synergia & erroribus Victorini Strigelii. VI. De D. Joann Stosselii propositionibus. Cumque Stosselius huic censuræ apologiam opponeret, iidem responsionem adornarunt, Illebiî excusam, anno MDLXVI. Erant Mansveldici genuini Matthiæ Flacii contra Adiaphoristas sectatores, nihil non agentes, ut Flacii causâ & doctrinæ Lutheranae puritas, rejecto Melanthonianæ moderationis Syncretismo, obtineret. Sed cum laudabile Flacii in asserendâ veritate institutum fœdo errore de peccati originalis substantia macularetur, ipsimet inter se Mansveldici, antea tam concordēs, dissentire, & pars, cujus ductores Cyriacus Spangenbergius & Christophorus Irenæus erant, sequi Flacium, pars, cujus auctor Hieronymus Mencilius fuerat, deserere eundem, imò refellere cœpit. Qua in re & judicium Ecclesiæ Argentoratensis, epist. c. XLIV. Part. IV. suo suorumque con-

fratrum.

fratrum nomine expetiit, multa de Spangenbergii & Irenæi pertinacia conquestus, & postquam id cum sententia sua congruens obtinuit, maximopere sibi gratulatus est, Epist. CLXIV. Part. IV. De quo verò Mansveldensium Ecclesiarum schismate latè informat, libro de Manichæismo renovato, p. 403. seqq. *Joannes Wigandus.*

## XLVI.

## SIMON PAULI.

Natus Sverini, anno:

1534.

Cum Theologiam in Academiâ Rostochiensi per multos annos professus fuisset, moritur 17. Jul.

1591.

De eo D. *Lucas Osiander*, Cent. XVI. lib. IV. cap. XLV. *Ad beatam patriam caelestem evocatus est, Doctor Simon Pauli, Theologus Rostochiensis, vir doctus & sincerus, Zelo DEI pradius, ab omnibus sectis, imprimis à Calvinismo, alienissimus, Cujus similes utinam multos haberemus Theologos.*

## XLVII.

## THEODORICUS SCHNEPFFIUS.

Natus VVimpinæ in Creichgæâ, Patre Erhardo Schnepffio, Theologo celebri, matrè Margarethâ, è consulari familiâ oriundâ, cal. Nov.

1525.

Traditus primo Marpurgi in disciplinam Chilianii Lingelsinii, deinde Stutgardix Alexandri Marcoleonis, atque comilitonibus Jac. Andreæ, Jo. VVelling. Anast. Demlero, & Bidembachiis fratribus, singulares in studiis progressus facit, atque ideò ad Acad. Tubing. mittitur.

1539.

Primâ

c. 3.

APPARAT. CAP. IV.

Primâ laureâ coronatur.	1543.
Secundâ magisterii.	1544.
In magistrum domus Ducalis stipendii eligitur.	1546.
Uxorem ducit Barbaram, Jo. Brentii filiam 2. Mart.	1548.
Derendingensis Ecclesiæ Pastor constituitur.	1553.
Postquam sub Jac. Beurlino de peccato originali disputasset, Theologiæ Doctor renuncietur.	1554.
Nürtingensis Ecclesiæ Pastor fit & Superintendens.	1555.
Theologiæ in Academiâ Tubingensi Professor.	1557.
Ad VVormatiense colloquium mittitur, è quo reversus Pastor & Superintendens Generalis Tub. salutatur.	1558.
A Borussiæ Duce Regiomontum: ab Ernesto Saxone Eisfeldiam; à Brunsvicensibus ad ephoriam Ecclesiæ suæ; ab Hallensibus item & Heilbronnensibus vocatus, non dimittitur.	
Erfurtino conventui cum D. Jac. Andreæ interest.	1561.
Maulbrunnensi.	1564.
Secundum matrimonium contrahit cum Julianâ Abrahami Spengleri, Ict. viduâ.	1573.
Moritur Nono Novembr.	1586.

*Lucas Osiander, Cent. XVI. lib. IV. cap. XXII. de Theodorico Schnepffio: Theologus doctissimus & eloquentissimus, Professor Theologia in Academiâ Tubingensi celeberrimus.*

XLIX.

CHRISTOPHORUS HERMANNUS.

**K**irchhemiâ in Svevia oriundus, Eßlingensi Ecclesiæ inservit.  
Mortuus. 1612.

Plura de eo non habeo.

XLIX.

XLIX.

## VALENTINUS SCHACHTIUS.

Simoni Pauli in Professione Theologicâ Rostochii  
successit. Catera me latent.

---

L.

## PETRUS PATIENS.

- H**Errenroda, sed quo anno natus fuerit, non inuenio.  
Argentorati studiis incumbit, & exinde testimonio  
eruditionis & probatæ vitæ instructus, Ep. LXV. part.  
II. Landaviam mittitur, ut Ecclesiæ ministrum ageret. 1558.  
Landavia Francofurtum vocatus, primo Ecclesiæ pastor,  
deinde Hartmanno Bejero è vivis sublato, Ministerii  
Senior constituitur. 1577.  
Ab Electore Palatino Heidelbergam accersitur, ubi  
post acceptum Doctoris Theologiæ titulum, Profes-  
soris in Academia & Ecclesiarum Generalis Superin-  
tendentis munere perfungitur. 1578.  
Demortuo Electore, cum Calvinismus iterum in Eccle-  
sias induceretur, eiectus Francofurtum redit & priva-  
tam vitam agit. 1583.  
Obiit 19. Sept. mbr. 1584.
- 

LI.

## JO. BRENTIUS, JUN.

- N**atus Halæ Svevorum, Patre Joanne Brentio, Se-  
niori, Theologo celeberrimo, & matre, Margaretha  
Græteria, 6. Aug. 1539.  
Erudi.

Eruditus Halæ & Tubingæ, in studiosorum numerum recipitur.	1552.
Primam adipiscitur lauream.	1555.
Magistri titulum.	1558.
Doctoris Theologi decus.	1562.
Professionem Theologiæ in Academia Tubingensi suscipit eodem anno. Et inspectionem Stipendii.	
Matrimonium inquit cum Barbara Roeschiâ, Stutgardiæ.	1563.
In Abbatem Hirschaviensem eligitur	1591.
Moritur apoplexia.	1595.

Ei *Martinus Crusius* hoc epitaphium crexit:

*Conditur hic, magnâ fidem qui voce peregit  
Praconem Christi, reverendus Brentius Abbâ.  
Non aliud verbis dixit, quam pectore sensit,  
Contentitque ad idem centrum cor linguaque semper.  
Ergo fide stabili Christum connexus in unum  
Nunc magni latus gremio requiescit Abrami.*

## LII.

## LUCAS BACMEISTERUS.

<b>N</b> atus Lunæburgi Saxonum, Patre Joanne, matre Anna Lublingiâ, 18. Octobr.	1530.
Præceptore Luca Lossio primaliterarum rudimenta imbibit, & peste Lunæburgi grassante, Hamburgi D. Æpinum audit, donec VVittebergam missus sub Melanthono, VVinshemio, Ebero, Reinholdo proficeret.	1548.
Ad informandum Regis Daniæ filium vocatur.	1553.
Redit ad Academiam & primo Juris scientiam, deinde ad se conversus Theologiam, duce Melanthon. Bugenhag. & Majore tractat.	1556.
	Summe



DE EPISTOLARUM SCRIPTORIBUS.

Summo in Philosophia gradu ornatur.	145.
Vocatur à Vidua Regis Daniæ ad concionatoris Aulici officium Coldingæ obeundum.	1558.
Ducit Joannam, Jacobi Bordingi, Medici regii filiam, eodem anno.	1559.
Invisus Aulicis ob oris libertatem, DEO res ejus adgubernante Rostochium in Ecclesiam & Academiam accersitur.	1561.
Vocatus à Bremensibus, à Daniæ Rege, à Lubecensibus, à Lunæburgensibus, à Duce Holsatiæ, à Regiomontanis, à Duce Brunsvicensi, in statione sua permanet, in Austria tamen, ab ordinibus accersitus, Ecclesias eorum ordinat.	1580.
Moritur ex scorbuto, 9. Jul.	1608.

Reliquit filium cognominem & in officiis successorem, cujus vitam in Theologorum Memoriis exhibet *Henningus Wittinius.*

LIII.

WILHELMUS HOLDERUS.

Natus Marpaci, in agro VVürtembergico, studiisque admotus ingenii bonitate singularem rerum Theologicarum scientiam brevi consecutus, promeruit, ut primò Ecclesiæ Stutgardianæ in Nosocomio, deinde cathedrali præficeretur, simulq; Principis Consiliarius & Consistorii Ecclesiastici Adessor; denique Abbas Maulbrunnensis & Generalis Superintendens fieret.

Mortuus anno. 1609.

Varia edidit adversus Calvinianos atque Pontificios scripta, è quibus eminent: *Mus exenteratus*, more & verbis scholasticobarbaris

barbaris, eleganti artificio, elaboratus; *Admonitio de Theodori Bezae adversus D. Pappum libello*, Anno 1580. quam collegium studii Theologici in Academia Tubingensi Praefatione exornavit, auctorisque pietatem & doctrinam egregiam collaudavit; *Candor Calvinianus*, id est, de eximia pietate, fide, doctrina & modestia Theodori Bezae Admonitio altera, Anno 1582. *Cuculus Calvinisticus*, sive de gratitudine & modestia Calviniana, adversus blasphemam Joannis Jacobi Grynæi apologiam, commonefactio. Anno 1585. Cumque cuculum hunc Falcone exciperet Marcus Beumlerus, *Labyrinthi Sacramentarij Prodrumus*, Anno 1586. Itemque *Asinus Avis*, id est, Metamorphosis nova, qua novitius Sacramentarius, Marcus Beumlerus, dum temerè in avem falconem transire voluit, ridiculo errore in asinum commutatus est. Anno 1587. *Ad Hieronymi Zanchij, Sacramentarij, virulentæ convitiae, quibus, ut ait, discessum ex hoc mundo meditatur, Responso*. Anno 1587. Et alia id genus. Tituli librorum acerbi & scriptio- nis genus vehementius bilem aliquoties Hospinianò movent, ut intemperantius in hunc Holderum invehatur, etiam eruditionis ei gloriam, quæ tamen ex scriptis contra Pontificios non obscure elucet, detrahens, eamque in Jacobum Andream, quem operum istorum auctorem absurdè facit, transferens. Sed asperitatem istam Beumleri non minus immoderatus calamus, quem tamen Hospinianus nullâ prorsus censura perstringit, viro, gloriæ Divinæ zelo ardenti, extorsit. Eratque ista ejus seculi consuetudo, ut ex utraque parte acrius, quam hodie fieri solet, dimicaretur, pugnantibus pro virili Lutheranis, ne nova præter eam, quæ à Luthero ad verbi Divini regulam constituta fuerat, doctrina in Ecclesias ab ipso feliciter reformatas ab intempestivis Zvingliano- rum errorum propugnatoribus inveheretur. Quam in re condonandum seculi genio & veritatis amori est, si qui videntur modum excessisse, cum & in antiquis Ecclesiæ patribus nonnunquam modestiam & lenitatem, nonnunquam verò Divinum, quo optimo animo æstuabant, impetum prædicemus.

## LIV.

## CONRADUS LAUTENBACH.

- N**atus Mutislaræ in Thuringia. 1534.  
 Præceptore primo Iſenaci Barth, Roſino, & Nord-  
 huſæ Baſilio Fabro Sorano uſus ita ingenii felicitate  
 profecit, ut Argentoratum ad uberiorem ſtudiorum  
 meſſem mitteretur. 1553.  
 Ad lectiones publicas admiſſus. 1556.  
 Moderatore in Theologia præ cæteris Jo. Marbachio  
 uſus, primo Mundelsheimenſis Eccleſiæ Paſtor ordina-  
 tur, deinde in urbem tractus Diaconus ad Prædicato-  
 res primum, tum ſummi templi conſtitutus eſt. 1557.  
 A Comite Hanoviænſi ad Paſtoratum Neuveilerenſem  
 vocatur. 1662.  
 Hunavillam in ſuperiori Alſatia. 1664.  
 A Ludovico Palatino ad Eccleſiam Heidelbergenſem,  
 ubi ſimul Bibliothecæ ad Sp. S. præſicitur & continu-  
 andi Sleidani ipſi provincia demandatur. 1580.  
 Mutato Heidelbergeni ſtatu Argentoratum redit, priva-  
 tam acturus vitam, ſed Francofurtum accerſitus vo-  
 cationi morem gerit. 1585.  
 Mortalitem exiit 18. April. 1595.

Imaginem ejus, æri inciſam, exhibet *Boiffardus*, Part. II. p. 242.

## LV.

## TIMOTHEUS KIRCHNERUS.

- N**atus VVolfſtadii, ditionis Comitum Gleichenſium,  
 6. Januar. 1533.  
 Primum concionator Auſicus Nobilis Henrici de Aſſe-  
 burg in Amphort. Deinde Paſtor in Herbeſleben,  
 ſed

- sed propter cothurnum Stösselianum, cui ille subscribere noluit, ab illa parochia remotus, pauper & egenus. Post breve tempus restitutus, ac Jenam ad officium Pastorale revocatus. Ubi Doctoris Theologiae honorem suscipit. 1574.
- Jena VVolfenbytelam ad concionatoris Aulici munus obeundum, & inde Helmstadium venit, ubi Ecclesiae Pastor & Professor Academiae, tum primum à Duce Julio erectae, prima fundamenta docendo jacit, ejusdem primus Prorektor. 1576.
- Isthinc, quod collusionem cum Pontificiis ac Judaeis publicè pro concione acrius perstringeret, cedere & per integrum annum Erfordiae exulare cogitur. 1579.
- Ab Electore Ludovico Palatino Heidelbergam postulatus, Professore agit. 1580.
- Post Electoris obitum cedere denuò cogitur, venitque Vinariam. 1594.
- Interest colloquio Altenburgensi. 1568.
- Quedlinburgensi. 1583.
- Apologiae Form. Conc. Erfordiae concinnandae adest. 1581.
- Moritur 13. Febr. 1588.

Famam nominis sui à Calvinianis Heidelbergensibus, libro, cui titulum praescripserunt: *Warhaffter Bericht von der vorgenommenen Verbesserung in Kirchen und Schulen der Churfürstl. Pfaltz*; temerè traductam vindicat Kirchnerus ipse, libro, quem inscripsit: *Warhafftiger Gründlicher Bericht/was sich in der Churfürstlichen Pfaltz / sonderlich in der Stadt Heydelberg / mit veränderung der Religion und Einführung der Calvinischen falschen Lehre / abschaffung reiner Kirchendiener / und D. Grynæi Calvinischen Disputation daselbsten verlossen. Gestellt von etlichen Theologen / der Christlichen Augsp. Confession, so umb der reinen Lehre willen auß der Chur*

Churfürstlichen Pfalz aufgeschaffen worden. Gedruckt zu  
Tübingen/ bey Georg Gruppenbach/ Anno 1583.

LVI.

## POLYCARPUS LEISERUS, SEN.

- N**atus VVinendæ in Svevia, Patre Casparo Lysero,  
loci Pastore & Superintendente, 18. Martii. 1552.
- Cum patrem bimus amisisset, à vitrico, Lucâ Ofiandro,  
Doctore, in Scholam primò Blabyrensem, deinde  
Stutgardianam, denique Tubingensem missus, eos in  
studijs facit progressus, ut anno ætatis decimo octa-  
vo, ipse annis minimus, inter competitores triginta  
duos, ætate se majores, primum obtineret locum. 1570.
- Sacris initiatur, 8. Martii. 1573.
- Ecclesiæ Gellersdorfensi sub ditione Baronis à Buch-  
heim præficitur, neque ab ea divellitur, etsi ad Pasto-  
ratum Græensem vocaretur. 1574.
- Gradum in Theologia Doctoralem, à Facult. Theol.  
Tubing. ipsi oblatum, cum D. Hunnio suscipit. 1576.
- Dimissis VVitteberga CryptoCalvinianis Pastor loci &  
Superintendens manu D. Jac. Andreae & permissu Du-  
cis VVürtembergici ordinatur, atque paulò post in  
Professorum Theologiæ numerum cooptatur. 1577.
- Ducit in matrimonium Lucæ Cranachii, Consulis &  
pictoris VVitteb. filiam, exque ea tredecim suscipit  
liberos. 1580.
- Interest colloquio Quedlinburgensi. 1583.
- Conventui Dresdensi & Magdeburgensi. 1584.
- Colloquio Lipsiensi & Herzbergensi. 1585.
- Mortuo Augusto & imperante ap. Saxones Christiano,  
Brunsvigam vocatus abit, primumque Coadjutoris,

deinde

APPARAT. CAP. IV.

159	deinde Superintendentis munere fungitur.	1586.
	Demortuo Christiano Electore VVittebergam ad pristina- nam functionem revocatur.	1593.
	In aulam Electoralem ut Concionator, defuncto Marti- no Miro, evocatur.	1594.
	Scripta Polemica contra Sam. Huberum, Jacobum Gret- serum & Glefelium, Capucinum, edit diversis annis.	
	Moritur ex febris; 22. Febr.	1610.

LVII.

WILHELMUS ZIMMERMANN.

**N**atus Neostadii in agro VVürtembergico, incertum,  
quo anno. Cumque in studiis eos fecisset pro-  
gressus, ut ad ministerium obeundum idoneus esset,  
Diaconus primum Stutgardianæ Ecclesiæ ordinatur,  
deinde Pastor in Imperiali oppido VVimpinâ, 1569.

Isthinc vocatus Heidelbergam Concionator & Consi-  
storii Ecclesiastici Adfessor ac consiliarius designatur. 1580.

Mortuo Electore Palatino, Ludovico, ac Joanne Ca-  
simiro administrationem suscipiente ac Theologos  
Aug. Conf. ejiciente, ipse quoque dimittitur. 1583.

Hinc Græcium Stiria veniens in Ecclesiasten à Primo-  
ribus adsumitur, ubi Evangelium ad finem usque vi-  
tæ prædicavit,

De quo in Epistola ad Senatores ordinarios inclyti Ducatus  
Styria, quibus Commentarium Fratris in Pentateuchum inscri-  
psit, Anno D. MDXCVII. Philippus Marbachius: *WILHEL-  
MUS ZIMMERMANN, Doct̃or Theologus, Pastor & Inspector  
Ecclesie & Gymnasii Græcanici, cujus pietatis studium, veritatis  
amor, laborum patientia, eruditio eximia, fidelitas singularis, do-  
cendi*

*cedendi dicendique facultas & dexteritas, Heidelbergæ abundè mihi  
perspecta, quin & vobis grata & jucunda, & Ecclesiæ atque Gymna-  
sio vestro emolumento & ornamento sit, nullus dubito. Pro quo  
judicio & gratias agit Marbachio Zimmermannus, Epist. LXVIII.  
Part. VI. Eundem D. Sulcerus, Ep. CCXXXIV. Part. IV. vocat  
virum optimum & doctissimum, qualem & Heerbrandus apud se  
prædicavit.*

## LIIIX.

## AMBROSIUS REUDENIUS.

- N**atus Groitschii, illa Misniæ parte, quæ Libonotria  
vocatur, Patre Alexio, Senatore & Judice oppida-  
no, Matre Ursulâ Geisleriâ, die qui Brigitræ sacer est,  
anno. 1543.
- Decimo ætatis anno in Scholâ Pegaviensi literarum  
fundamenta jacit, Muchelæ profectitur, donec  
adiret Salinas Saxonicas. 1558.
- Ex his celebrem frequentat tum temporis Magdebur-  
gensium scholam. 1559.
- Lipsiam dehinc, ubi & summo magisterii gradu ornatur,  
& collegia philosophica aperit. 1565.
- Uxorem ducit Altenburgi, Evam, M. Michaelis Chiliani,  
Rectoris, filiam. 1570.
- Jenæ Dialecticam & Physicam docet, M. Jo. Rosæ suc-  
cessor. 1571.
- Exacto sesquianno ob turbas Jenæ coortas officio abit  
& privatam vitam per integrum septennium agit,  
donec ad professionem Linguae sanctæ vocaretur. 1578.
- Wittebergæ Doctor Theologiæ creatur. 1586.
- Theologica professio ipsi Jenæ defertur. 1587.
- Moritur Calendis Junii. 1615.
- Scripta ab ipso edita recenset Henn. Witten. Memor. Theol. dec. l. n. vii. p. 91.

## GEORGIUS OBRECHTUS.

**N**atus Argentorati, Patre Thomâ, Reip. Syndico, matre Elisabetha Rothin, festo conceptionis Christi, anno.

1547.

**C**um classicum studiorum cursum in Gymnasio Argentoratensi explevisset, Tubingam sese confert, ibique audit Scheggium, Lieblerum, Hizlerum, Hailandum, morumque philosophiam intimè imbibit.

1565.

**T**um vero Juris studio totum se tradit, doctoribus Varenbülero, Cappelbeccio, Hochmanno, Deblero, Horumoldo, Volkio. Porrò in Burgundiam progressus, Cyno, Campano, Romano, Mogioto, Musio, & in Gallia Rob. Fernerio, Contio & Molinæo præceptoribus utitur, ubi lanienam Parisiensem, librorum tamen factâ jacturâ, feliciter evadit.

1572.

**B**asileæ Doctoris titulum assumit 13. Maij.

1574.

**P**rofessio Juris in Academia Argentoratensi ei demandatur, mense Augusto.

1575.

**P**ræpositus fit Capituli Thomani.

1595.

**A**dvocatus & Consiliarius Reip.

1598.

**D**ucit Barbaram Marbachiam, & hac defunctâ Ursulam Chesiam.

**A** Rudolpho II. Imper. Nobilitatis insignia accipit & S. Palatii & Imper. Consist. Comes creatur, una cum filio, Jo. Thomâ Obrechto.

1604. 1609.

**A**ccersitur ad Academiam Heidelbergensem à Ludov. Pal. ad Helmæstadiensem à Julio Brunsv. à plurimis aliis Imperii Principibus in gravissimis causis consultus.

**M**oritur 7. Junii.

1612.

De quo in Append. Chronol. ad Jubil. Argent. Melchior Sebizius: *vir gravissimus, Jureconsultus sui seculi maximus, doctor facili.*



*facilis, perspicuus, brevis & methodicus, cujus nomine scripta ejus plurimi hactenus facta sunt.*

## LX.

## JOHANNES FABER.

- N**atus Herbslebii in Thuringiâ, ignotum, quo anno. Adultis in Academia Argentoratensi studiis ad Diaconatum Jun. Petri vocatur. 1561
- Melchiori Speccero in Pastoratu & Canonicatu Thoma-  
mano succedit. 1569.
- Professor Theologiae designatur. 1581.
- Peste vitam finit, rude aliquot ante vitae finem annis do-  
natus, non solum ob aetatem ingravescentem, sed  
etiam infirmitatem corporis, cujus non minima cau-  
sa fuit fulminis ictus, pridie Cal. Septembr. 1596.
- Reliquit Filium, Joannem, Theol. Lic. & ejusdem Pro-  
fessorem.

## LXI.

## JACOBUS HEILBRONNERUS.

- N**atus Eberdingæ, in Ducatu Württembergico, Pa-  
tre Hieronymo, Hallensi, Pastore ac Superinten-  
dente Vayhingensi, Matre Barbara Dikin. 1548.
- Eruditus in Scholis Enzveihinganâ, Vayhinganâ &  
Stutgardianâ, in numerum alumnorum Albirspa-  
censium recipitur. 1561.
- Translatus Maulbrunnam sub Val. Vannio proficit, do-  
nec tandem in stipendium Ducale & Academiam  
Tubingensem reciperetur & Magistri titulum assume-  
ret.

- ret. Tractatis feliciter studiis Theologicis sub præceptoribus Andrea, Heerbrando & Schnepffio, cum Polyc. Lysero in Austriam discedit & Viennæ concionatur. 1573.
- Cum aliquot annis variis in locis prædicando Evangelium operam suam locasset & cum Flacianis etiam publice esset collocutus, à Johanne Pal. Bipontum ad Concionatoris Aulici munus vocatur. 1575.
- Ducit Tubingæ Catharinam VVikers. 1575.
- Doctor creatur Tubingæ, unâ cum Philippo Fratre, & Joanne VVesenbecio. 1577.
- Biponto post varias cum Pant. Candido pugnas, cum Jo. Palat. Calvinianæ religioni nomen dedisset, oblati variis vocationibus, utpote Hagenoam, Ulmam, Heidelbergam, & in loca alia, Benshemium concedit, Pastorem ibi & Superintendentem agens, & post decimum mensem superioris Palatinatus Generalis Superintendentens, abdicato ob Calvinismum Schallingio, constituitur & Pastor Ambergensis. 1581.
- A Johanne Casimiro, Elect. ab officio removetur. 1584.
- Detinetur tamen ab ordinibus, Cæsareum diploma, ne quidquam innovaretur, impetrantibus, donec civibus vi coactis, ut discedere eum permetterent, Neoburgum ad concionaturam Aulicam suscipiendam discessit, Cal. Octobr. 1585.
- Pontificiis præsentate Jac. Andrea Ratisbonæ in aula Episcopali colloquitur. 1588.
- Ratisbonensi solenni Colloquio ut Disputator interest. 1600.
- Expeditur ad Professionem Tubingensem à Ludovico Duce, ad professionem primariam Regiomontanam, ad inspectionem Ecclesiarum Græcii in Stiria, ad officium Superintendentis in Ecclesia Ratisbonensi, sed à Philippo Ludovico Palat. non dimittitur.

Wolfgang

VVolfango VVilhelmo Palatino ad gubernacula veniente, eoque à Jesuitis, ut Romanam religionem sequeretur, seducto, tandem & Heilbronnerus cedere necesse habet, fitque Abbas Monasterii Anhusensis. 1615.  
Paulò post ad Abbatiam supremam Bebenhusanam & Generalem inspectionem promotus, non desinit contra Jesuitas scribere; tandem apoplexiâ correptus moritur, 6. Novembr. 1619.

De eo in Oratione funebri D. Theod. Thummius: *Vir, si Theologia spectemus cognitionem, in omnibus tam felicis, tam exacti, tam exquisiti judicij & dexteritatis, ut nihil supra. Sive enim ex ipso S. Literarum codice quaestio mota fuerit, ita solidè sedem & indolem veræ & genuinae sententiae animadvertere potuit, ut vix secundum habuerit; sive ex Patrum scriptis definiendum aut decidendum aliquid fuerit, rursus talem se praestitit, ut illum nobis admirandi, adversariis verò indignandi materiam praebuerit. Si vitam verò examinamus, vir, qui in simplicitate prudentiam, in adversitatibus patientiam, in veritate constantiam, in parsimoniâ temperantiam & frugalitatem exercuit; in rebus gravissimis deliberandis matura & benè cocta dedit consilia, in agendis & expediendis eâ promptitudine & dexteritate, ut integritati animi auctoritatem & comitatem adjunxerit. Habuit generum, nominis Heilbronneriani, inprimis scripti illius: Das Uncatholische Pabstthum/ strenuum defenforem, Georgium Zeamannum, Theologiae Doctorem & Ecclesiae Campidonensis Antistitem,*

## LXII.

## STEPHANUS GERLACHIUS.

Natus ex honestis parentibus, die Stephani, Knitlingæ, primario monasterii Maulbrunnensis pago.

1546.  
Primas

Primas literas in Meckmühlensi schola, Præceptore Mel. Heroldo discit, inde Stutgardiam atque postea Maulbrunnam translatus, Valentinum Vannium doctorem habet, donec Tubingam in Stipendium Theologicum duceretur.	1563.
Prima laurea donatur eodem anno & magisterii honore. Cum Oratore Cæsareo, Dav. Ungnadio, ad Portam Otomannicam proficiscitur, ut ejus concionator.	1567.
Constantinopoli cum Græcis utiliter versatus, Tubingam redit, & summum in Theologiâ gradum suscipit, simulque matrimonium cum Brigitha Schvvarzia contrahit.	1573.
Professionem in Academia Tubingensi primò extraordinariam, deinde defuncto Theodor. Schnepffio ordinariam suscipit.	1579.
Inspectio Collegii Illustris & munus Superintendentis ipsi commendatur.	1587.
Moritur 30. Jan.	1590.
	1612.

## EXIII.

## ANDREAS OSIANDER.

Natus Blabeuræ, in agro Württembergico, Patre Lucâ Osandro Doctore, 27. Mart.	1562.
Receptus in Stipendiariorum Tubingensium numerum & prima laurea ornatus.	1576.
Magisterii titulo.	1578.
Diaconus Ecclesiæ Uracensis ordinatus.	1584.
Ducit Barbaram Hailandinam atque ex eâ octodecim liberos, novemque sibi superstites, suscipit.	
Gigligensis Ecclesiæ pastorem adit.	1587.
Concionator Aulicus Ducis Ludov.	1590.
	Colle-

## DE EPISTOLARUM SCRIPTORIBUS

Colloquio Badensi interest.	1589.
Doctōris nomen consequitur.	1592.
Abbas Adelbergensis & Generalis Superintendens declaratur.	1598.
Colloquio Ratisbonensi interest.	1600.
Præpositus Tubingensis & Academiae Cancellarius.	1605.
Vocatus frustra à Lipsiensibus, Rostochiensibus, Jenensibus, VVittebergensibus	
Moritur 21. April.	1617.

## LXIV.

## JOANNES WESENBECIUS.

Theologiae Doctor renunciatur in Academia Tubingensi una cum duobus Heilbronneris.	1577.
Comperet in eorum numero, qui è Professoribus Tubingensibus Formulæ Concordiæ subscripserunt. Cæterum Ecclesiarum Ulmensium Superintendens, commentario in Epist. ad Rom. à se edito notus.	

## LXV.

## JOANNES MAGIRUS.

Natus, 26. Martii, Backnangæ, oppidulo agri VVürttembergici, Patre Joanne Koch, carpentario, & Magdalena Kürzin, matre.	1537.
Præceptorē in patria primum habet Joannem Breunlinum, abductus deinde in illustre stipendium Tubingense.	1553.
Baccalaureus creatur Calvæ.	1555.
Magister artium.	1557.

Cum Theologicæ se scientiæ, Præceptoribus Beurlino, Heerbrando & Schnepffio totum deditisset, Dia- conus Ecclesiæ Stutgardianæ renunciatur.	1559.
Decanus & Superintendens vicinarum Ecclesiarum.	1561.
Pastor & Superintendens Vayingensis.	1562.
Superintendens Generalis & Abbas Maulbr.	1563.
Angelbergensem Ecclesiam ab erroribus Pontificiorum reformat.	
Fit Præpositus Stutgardianus post Baltasarem Bidem- bachium.	1578.
Ducit in matrimonium primo Annam Frizin.	1559.
Deinde Veronicam Grafeciam.	1585.
Ex quibus Filios paternarum virtutum hæredes habuit, Joannem, Præpositum Denkendorfensem, Jacobum, Præfulem Lorchensem, Davidem, Jct. & Professo- rem, Samuelem, Pastorem Bessigheimensem, & Lu- dovicum; pluresque filias, honestissimè elocatas.	
Moritur 4. Jul.	1614.

## LXVI.

## JACOBUS SCHOPPERUS.

Natus Biberaci.	1545.
Professor in Academiâ Heidelbergensi, tum Luthe- ranâ & Theologiæ Doctor.	1580.
Dimissus cum cæteris ambergensis Ecclesiæ curam gerit.	1583.
Fit Pastor & Superintendens Heideccensis in ralatinate Neoburgico atque inde ad Professionem Theologi- cam, Altorfi obeundam, vocatur.	1598.
Cum varia Theologica & Historica edidisset, finem vi- vendi facit, 12. Sept.	1616.

## LXVII.

## LXVII.

## LEONHARDUS HUTTERUS.

- N**atus Ulmæ Svevorum, patre, Leonhardo, Ecclesiastâ, mense Januario. 1563.
- Adolescens in Scholâ patriâ, juvenis Argentorati institutus, totos annos decem hic hæret, & magisterii titulo ornatur. 1583.
- Argentina Lipsiam discedit. 1591.
- Heidelbergam & paulò post Jenam. 1593.
- Doctör Theologiæ renunciatur ibidem. 1594.
- VVittebergam ad professionem Theologiæ vocatur. 1596.
- Barbaram Mannlichiam, Augustanam, in matrimonium ducit. 1599.
- Moritur 29. Octobr. 1616.

Scripta viri ordine recenset Henning. Witten. Memor. Theologor. Decad. I. n. IX. p. 92. f.

## LXIIIX.

## PAULUS CHERLERUS.

**E**lsterburgâ Variscus. Studia sua in Academiâ Basileensi magno doctorum applausu prosequitur. Hospes D. Sim. Sulceri acceptissimus. Elegias funebres Oetlingæ, in monte Susenhardo, loco ad Marchionatum nostrum spectante, (quo ob pestem confugerat, cum è Germania, juxta Ep. LIIIX. part. III. reversus esset) scripsit virorum illustrium & juvenum studiosorum, qui in urbe Basilea & in agro tractuque Basileensi peste interierunt, non sine magno & Ecclesiæ & reip. detrimento, à Cælio Sec. Curione & Henr. Pantaleone laudatas.

1564.  
Uxorera

Uxorem quoque, dum in convictu Sulceri esset, ducit, de quo Sulcerus, Ep. XCII. Part. III. *Cherlerus noster Uxorem duxit consilio meo, interventuque, & spero, ex DEI gratiâ benè illi esse prospectum; amatur à me juvenis vehementer, sic enim merentur virtutes ipsius.*

1565.

Paulò post constitutus Pastor Binzheimensis, in districtu Roetelano Marchiæ nostræ, de quo suâ manu in Protoc. Ecclesiæ illius his verbis testatur: *concionem primam habui Anno 1565. ipsâ Dominicâ Quasimodogeniti, proximo anno post horribilem & magnam pestem, quâ Basilea circiter 6000. homines extincti sunt & in agro plus minus XIII. Pastores occubuerunt.* In illo officio, cum quo & Secretarium Synodalem Roetelanum egit, ad finem usque vitæ perstitit, qui ei obtigit anno.

1600.

Poëseos amantissimus fuit Cherlerus, nec inelegans scripsit carmen, melius atque politius scripturus, si per facultatas suas ad solidiorem veterum lectionem & imitationem ei adspirare licuisset. Quæcunque autem edidit, Poëtica sunt, pleraque inserta secundo deliciarum Germanicarum Tomo. Versantur in publica luce ejus libri IIX. De JESU Christo, DEI patris & Mariæ virginis Filio *in quibus majestas persona Christi & officij dignitas atque amplitudo, tum ligatâ, tum solutâ oratione, ex vivo DEI verbo piè & perspicuè docetur.* Quod opusculum summis tum patriæ nostræ proceribus & Ecclesiæ præfulibus, Martino à Remchingen, Proprincipi, Christophoro Friderico Kirchnero, Icto & Vice-Cancellario, Ruperto Dürrio, Theologiæ Doctori & Durlacensium Pastori atque Superintendenti, Benedicto Ungero, Concionatori Aulico, & VV olfgango Mummio, Secretario, inscripsit. Anno MDLXXXIV. Ad quos inrer alia: *Liceat mihi hoc loco mentionem facere rei cujusdam, pro quâ sepe DEO meo gratias ago, hujus nimirum: Fui clarissimorum Theologorum*

60717077-



incommensalis & contubernalis, Dn. D. Simonis Sulceri, Basilea, & Dn. D. Joannis Marpachij, Argentina. Apud utrumque totum quadriennium. Nactus deinde sum singulari DEI beneficio doctissimum, optimum & vera pietatis studiosissimum, socerum, Dn. Joh. Baubinum, Medicina Doctorem, ( qui & ipse filios, Medicina Doctores, moriens patriæ reliquit, pauperibus verò 800. florenos legavit testamento, cujusque ex filiâ habeo jam superstites liberos XII. omnes robustos, salubri corpore & bona spei ) sed illorum nullus, hoc est, nec Dn. D. Marpachius, nec optatissimus socer meus unquam me à studio & amore poesëos, ( ad quam arcanâ inclinatione à teneris unguiculis semper me rapi sentio ) vel uno verbulo dehortati sunt aut deterruerunt. Fortasse quod sentirent, Poesin DEI donum esse & dari quibusdam ingenijs, non omnibus ; idque donum non suffocandum esse, sed excitandum, non odio prosequendum, sed diligendum. Sed & Eclogæ ejus de Christo extant, Bas. Amerbachio, Fr. Hotomanno, Adamo Petri & Sam. Grynæo dicatæ, & impressæ Anno 1582.

## LXIX.

## CHRISTOPHORUS SCHLEUPNERUS.

**N**atus Drumsdorfii in Marchiâ superiore. Primum in Stiriâ, hinc apud Hildesheimenses, tum apud Islebieneses, Comitum Mansveldicorum Superintendens, denique Beruthi, in Marchionatu Brandenburgico, Generalis Ecclesiarum Superintendens, ministerium obiit. Cujus avus, Dominicus Schleupnerus, primus præco Evangelicus Noribergæ fuerat. Quæ particulatim de ipso dicenda essent, mihi ignorantur.

LXX.

## BALTASAR MENTZERUS.

- N**atus Allendorffii, in inferiore Hassiâ, Parente Justo Menzero, Præfecto fontis Salinarum, Matre, Margarethâ Zaniâ, tertio Calend. Martii, anno 1565.  
 Missus anno duodecimo in scholam Herzfeldensem, decimo octavo Marpurgum, lauream magisterialem consequitur. 1584.  
 Receptus in numerum Stipendiatorum majorum, brevi tempore ita proficit, ut Professorum publicorum vices, si illumunere suo fungi haud poterant, legendo expleret; & Pastoratui Kirtorfensi postea præficere-  
 tur, ubi Sadeelem refutat 1589.  
 Vocatur ad Professionem Theologicam & Ephoriam alumnorum, in locum D. Arcularii. 1596.  
 Primò conjugem ducit Julianam VVolfiam. 1589.  
 Secundò Margaretham Orthiam. 1594.  
 Tertio Elisabetham Struppianam. 1603.  
 Vocatus Francofurtum, bis à Principe Schaumburgico, ter à Duce Brunsvicensi, semel ab Academiâ Juliâ, bis à Rostochiensibus, in statione suâ permanet.  
 Editis plurimis operibus & fama viri latissimè dispersa moritur. 1627.

Catalogum scriptorum exhibet: *Hennig, Witten*, in Memor. Theologor. Dec. II. p. 264.

LXXI.

## GEORGIUS HERDENIUS.

- A**Rgentorati primum, Præceptore Philippo Marbachio, operam studiis locat, dein Marpurgi, Doct. oar

## DE EPISTOLARUM SCRIPTORIBUS.

169

Doctore Baltasare Menzero, ubi & Doctoris Theologi nomen impetrat, 27. Aug. 1601.  
 Ex quo Pastoris primo Echcellani, deinde Superintendentis Marpurgensis officium obiit. Cætera me fugiunt.

---

## LXXII.

## JOHANNES BECHTOLDUS.

Natus Argentorati 7. Febr. 1580.  
 Baccalaureus. 1596.  
 Magister artium. 1598.  
 Post susceptas peregrinationes Theologiæ Doctor Tubingæ. 1607.  
 Ecclesiastes summi Templi. 1608.  
 Professor Theologiæ & Præses Ecclesiastici Conventus in locum D. Pappi. 1610.  
 Primus in nova Academia Argent. Doctoris Theologi promotor. 1621.  
 Naturæ debitum solvit 2. Mart. 1621.

---

## LXXIII.

## HELVICUS GARTHIUS.

Natus, Patre Baltasaro, artium Magistro, Alsfeldiano Pastore, Matre Catharinâ Hultscheriâ, 18. Decembr. 1579.  
 In Academia Marpurgensi Baccalaureatum & Magisterium maturè nactus & post editis tam publicè quam privatim Argentinæ industriæ speciminibus, censurâ Tubingensium Theologorum ætatis anno vicefimo tertio summo eruditionis titulo, Doctura, insignitus. 1602.  
 Ducit

Ducit Sabinam, Æg. Hunnii Filiam, & ex ea quinque  
fufcipit liberos.

Electoris Saxonici auctoritate primum Offadienfium,  
deinde Fribergenfium Superintendens conftitutus,  
denique Pragam vocatus, Templi Salvatoris Germa-  
nici Antiftitem & Confiftorii Affefforem agit.

Moritur 5. Decembr.

1619.

Quorundam vitam levi, quod dicitur, brachio perfrinxi-  
mus, partim quod deftitueremur idoneis ad uberiozem enarra-  
tionem monumentis; (Nam fi ullum eruditionis hiftoricæ ge-  
nus parcè excultum eft, vitarum id certè recenfionem effe, quis-  
quis rem recto iudicio confideraverit, fatebitur, quæ tamen ni-  
rum quantam in omnem folidæ doctrinæ partem utilitatem dif-  
fufura effet, fi accuratori ftudio tractaretur) partim, quod pau-  
cæ eorum in hoc opere epiftolæ confpicerentur, eæque non no-  
bile argumentum, fed materiam vulgarem complexæ. Cate-  
rorum verò eò copiofius vitam fignavimus, quo & plures &  
argumento graviore exatarunt epiftolæ, uti monumentis publi-  
cis, utpote vitis *Melchioris Adami*, Iconibus *Jo. Jacobi Boiffardi*,  
Syntagmate hiftoriarum Ecclefiæ *Joannis Micralij*, Libello Sy-  
noptico *Auguftini Brunnij*, Memoriis *Henningi Wittenij*, oratio-  
nibus & fermonibus, in cujuflibet funere recitatis & publicæ  
poftea luci expositis, femel etiam iterumque communicatis mi-  
hi ex locorum Archivis vitæ descriptionibus. Atque hunc In-  
dicem non exiguum in lectione harum epiftolarum ufum habi-  
turum effe, prorfus fum perfuafus.

Quas in octavum librum conjeci, Epiftolæ, non ex Mar-  
bachianâ Bibliotheca manant, fed industriæ debentur clariffimi  
quondam viri, *MATTHIÆ BERNEGGERI*, magni Argentoraten-  
fium πολυγράφου, qui aliunde acceptas fideliter confervavit, è cujus  
libro

librorum suppellectile nuper mihi communicatæ fuerunt. Quis-  
 quis eas sine affectu inspexerit legeritque, dignas iudicabit, quæ  
 publica luce donentur. Quippe scriptæ à doctissimis ejus-  
 ætatis viris, de rebus longè gravissimis, quæque haud contem-  
 nendum usum, si non præcipuè in Ecclesiam, in rem tamen  
 literariam & solidioris eruditionis diffundant. Complectuntur  
 illæ nonnulla, quæ orthodoxas aures offendere possunt & qui-  
 busdam videbuntur omittenda fuisse. Sed ego iis annumerari  
 nolo, qui scriptores, ubi quid dicunt, quod scenæ non inservit,  
 liberè castrant, aut nihil eruditum tolerare possunt, quod à placitis  
 nostris deviat. Cum ii scribunt, qui religionis nostræ hostes  
 sunt, pro religione nostra scribere non posse ultrò intelliguntur.  
 Iniquum tamen est, nolle eos audire, cum scriptioni suæ ea simu-  
 admiscent, quæ pulcra sunt, quæque utilitate sua in alio eruditionis  
 genere non destituuntur. Ubi inprimis, quæ contra nos dicunt,  
 ita comparata sunt, ut eorum vel error vel vanitas cuilibet, hi-  
 storiarum non profus rudi, facile patefeat, aut ex monumentis  
 jamdiu editis possit retundi. Ideò enim & gentilium & Judæo-  
 rum libros ex Christiana Ecclesia non expurgamus, quod, licet  
 mysteria fidei nostræ propria inde non firmentur, sed multa sæ-  
 pe parte labefactentur, de aliis tamen rebus, in ipso quoque  
 Christianismo necessariis, utiliter admoneant.

Pleræque Epistolæ *Erasmus*, illud omnis eruditionis mira-  
 culum & renascentium literarum parentem commendant. Quod  
 vitio omni carere, nemo hodie negaturus est. Quamquam  
 enim, ut rectè de eo judicavit *Philippus Melanthon*, quod prima-  
 rium religionis Christianæ caput, justificationem fidei, concer-  
 nit, minus intellexerit *Erasmus*, quam omnis Sophistarum scho-  
 læ sciverunt, eoque non immeritò *Lutherum* fuerit expertus ad-  
 versarium; qui in Epistola ad amicum, V Vittebergæ MDXXII.  
 feria quarta post Urbani scripta: *non est*, ait, *Erasmus in hac re*  
*formidabilis, sicut neque in summâ fermè tota rerum Christianarum.*  
*Potentior est veritas, quam eloquentia, potior spiritus, quam inge-*

*xium, major fides, quam eruditio. Et ut Paulus ait: stultum Dei sapientius est hominibus. Ciceronis eloquentia sapius superata est minore eloquentiâ in iudiciis fori. Julianus eloquentior est Augustino. In summâ, victoria est penes balbutientem veritatem, non apud mendacem eloquentiam. Non provocabo Erasmus, sed neq; provocatus semel atque iterum, mox referiam. Tamen non videtur consultum, ut vires eloquentiæ suæ in me instituat. Metuo enim, non inveniet in Luthero Fabrum Stapulensem, neque possit gloriari, sicut de illo gloriatur: omnes gratulantur mihi, victum esse Gallum. In re tamen morum, inquit porro Philippus, Erasmus nihil dubitarim, veteribus omnibus præferre. Quantum uni Erasmo sacra antiquitas debeat, quam ille propemodum totam doctissimis commentariis illustravit, non potest ullo satis calamo deprædicari. Nemo hodie per totam vitam tantum veterum librorum legit, quantum ille & typis commisit & accuratissimis iudiciis ornavit & vastis sæpe dissertationibus exposuit. Nemini cuiquam obligamur, qui nunc in emetiendo veteris historiæ mari felici velo provehimur, si illius non toti debitores sumus. Fregit ille simul in istâ scholæ caligine glaciem & veterem simul sapientiam ad quoddam fastigium deduxit. Cætera quoq; omnia in hoc viro ad eò eximia fuerunt, ut vix ullus hominum memoria inveniatur, in quem liberalius dona sua profuderit natura. Idem encomium Urbano Regio veri tenor expressit, Ep. XII. In religione verò, quamquam Lutheri in plerisque partes potiores verioresque iudicaverit, institutum tamen ejusdem, sive metu cujusdam infamiæ, (nam, ut ait Sleidanus, lib. IX. a. 1534. omnium rerum maximè timebat, ne gratiam & auctoritatem amitterent sua scripta) sive spe præmii & honoris, (nam, dicente eodem Sleidano, lib. XI. Paulus III. eum in Cardinalium numerum adsciturus erat, ni morte fuisset præventus) nunquam apertè secutus est: Monachorum tamen & Scholasticorum, qui tum regnum ubique in Ecclesiis & scholis obtinebant, barbariem, corruptissimos mores, hypocrisin, defloratam religionem & à veteri instituto lapsum ita acriter traduxit, inque*

cæteriæ

cæteris à Pontificiorum communibus sententiis adeò frequenter deflexit, ut & illos infensibilissimos haberet per omnem vitam hostes, & hodie quoque Romanæ sedis addicti nihil minus æquè ferre possint, quam Erasmus, Semi-Lutheranum quippe & Semi-Pontificium, ipsis objectari. Quamquam nonnulli inter eruditiores, ut Epistolæ præsentis documento sunt, forte ne scribendo ipsis gravis esset, palpo eundem, dum viveret, permulcentes, sibi vindicaverint, illumque ut catholicum, imò ut catholicorum Theologorum suo sæculo principem, in cælum vexerint.

AMBROSIUS BLAURERUS, Constantiæ anno 1520. natus in patriâ & Augustæ pleramque vitæ suæ partem consumpsit, nisi quod sub vitæ suæ finem ob Inretim Constantiâ pulsus in Helvetiâ delituit, donec naturæ debitum exolveret, A. 1567. Melanthoni & Calvino, (cujus ad ipsum aliquot epistolæ extant) adhæsit: ex quo facile licet conjectare causam, cur Tigurinorum modestiam tantopere extollat. Habes ejus quoque mentionem Ep. XXIX. Part. II.

VVOLFANGUS FABRICIUS CAPITO Hagenoæ natus, A. 1478. admirandis per omnem vitam fatis obnoxius fuit. Nam primo ex parentis, deterrimos ejus sæculi Ecclesiasticorum mores exosi, voluntate medicinæ operam dedit, ejusdem Doctor solenni Academiaeum more declaratus, A. 1498. vicesimo ætatis anno. Defuncto parente naturæ quadam bonitate ad studia Theologica tractus tantâ diligentia iisdem insudavit, ut & Theologiæ Doctor A. 1504. renunciaretur, ætatis vicesimo sexto. Hinc summo amore Evangelicæ doctrinæ captus, Brusselæ, Spirensis Episcopatus oppido, & Basileæ semina veræ doctrinæ jecit. Vocatus autem ab Archiepiscopo Moguntino, ut & Concionator ejus & Cancellarius esset, (nam juris quoque prudentiæ, Zafii per quadriennium auditor, operam dederat) tertium quoque Doctoratus gradum in jure adsumpsit, anno 1520. ætatis quadragesimo secundo. Causam ejus rei aperuit ipse in Epistolâ ad Huttenum: *Juris Pontificij, ait, ut vocant, Doctoratum suscipiam, propter auctoritatem*

*poritatem videlicet comparandam. Scopum subolefcis, pra cateris  
 multis sacrosanctum. Licet interim sint aliqui, qui vitio vertunt,  
 Theologum esse & unâ simul civilem. Quasi Theologus necesse  
 habeat omnem exuere humanitatem. Non multò post Carolus V.  
 Imperator, prudentiâ viri & eloquentia motus, nobilitatis ipsi &  
 posteris insignia contulit, Anno 1523. Verum omnem istam  
 pompam & in hoc mundo splendorem nihil moratus Capito,  
 stupentibus Aulicis, Bucerum Argentoratum secutus, Templo  
 D. Thomæ Præpositus datus est, anno 1523. De quo Nic. Ger-  
 belius ad Jo. Svvebelium, Ep. XXII. Hesternâ die Capito, Præpo-  
 situs noster, innumerabili conveniente turbâ, Colossensium epistolam  
 enarrare capit, apud S. Thomam. Interim Papista in calceos &  
 caligas, &c. Non credis, quantum auctoritas Capitonis efficiat.  
 In Sacra verò functione, quam à teneris amabat, ad finem vitæ  
 perstitit, quem beatum habuit, anno 1541. Ut in Capitone  
 pleraque singularia erant: ita rarum fuit, quod uxor ejus  
 VVIBRANDA ROSENBLATTIA, quatuor viris, iisque singulis ob  
 eruditionis & meritorum famam celeberrimis, juncta fuit, Ludo-  
 vico Cellario, Doctore & Philosopho Basileensi, VVolfgango  
 Fabricio Capitoni, Joanni Oecolampadio & Martino Bucero.  
 Extinctam peste Basileæ anno 1564. carmine deflevit *Paulus  
 Cherlerus*. Quamvis autem reformatæ per Lutherum religioni  
 ex toto animo deditus esset Capito, moderationem tamen, ut  
 erat placidissimi ingenii, ita, ut ad vitium sæpiculè defleceret,  
 amabat. Cujus rei & in Epistolis præsentibus, secunda & trige-  
 sima quarta, documenta cernuntur. Nam in priore Erasmus  
 ad Lutheranæ quidem religioni adjiciendum calculum, sed ad-  
 modum timidè frigideque cohortatur. In posteriore Anabap-  
 tistis tantum abest, ut patrocinetur. Atque hunc in Capitone  
 timorem gravi & cordata epistola, ut solebat, reprehendit  
*Lutherus*, quæ Luthero vivente separatim edita digna esset, quæ  
 huc transcripta legeretur. Sed quia illa prolixior est, excerpta  
 ejus quædam in eorum gratiam, qui adhuc hodie moderatorum  
 Theolo-*

Theolo-



Theologorum nomen affectant, dabimus. Ita autem Theander ad Capitonem, quem, ut Evangelio portam apud Cardinalem aperiret, rogaverat, quique responderat, moderatè in eo negotio agendum, atque ad multa connivendum esse: *Quantum litera Cardinalis Tui, (Electoris Moguntini) animum meum erexerunt, tantum tua dejecerunt, mi Fabrici. Dejicit forte & vultum tuum exordium hoc triste & ingratum; sed tuâ culpâ, qui & fidem & auctoritatem literis Cardinalis tam intempestivâ Rhetoricâ ademeris. Inter multa enim, qua moverunt, hoc erat unum, quod scribis, te juvandarum Evangelij partium diversam à nobis inijsse rationem. Hoc enim quid aliud est, quam aut tuam aut nostram rationem damnabilem esse? Cum necesse sit, ministerium spiritus sibi ipsi quam minimè pugnare. Atque ego quidem pro meo in te candore verbum hoc diversitatis leniissem, nisi tu ipse, tuus interpret, coegisses sic intelligendum esse: Evangelium tunc promoveri, si Principibus conniveatur, parcatur, eorum facta excusentur, & ut tua verba sonant, ne pugnam procaces provocemus. Hac tua ratio est & veritatis Christiana abnegatio est. Ego nec inimicis optarim hunc animum probari, tantum abest, ut optem, hac ratione juvari Evangelium, ut nihil vehementius deprecet. Et faxit Christus, non, ut nihil promoveas, sed ut servet te nobiscum, ne noceas. Mansuetudinem & benignitatem exigis, scio. Sed quid Christiano & adulatori? Res est aperta & simplicissima Christianismus. Rem sicut habet, & agnoscit & fatetur. Male valere volunt etiam gentiles eos amicos, qui vitis amicorum blandiuntur: & veritas Christi vitis & impietati simul blandiri poterit? Igitur nos sic sapimus, omnia prorsus esse reprehendenda, arguenda, confundenda; nihil parcendum, nihil connivendum, nihil excusandum, ut medio stet campo & libera & pura & aperta veritas. Aliud est, quos corripueris, summâ mansuetudine suscipere, tolerare, invitare. Hoc jam ad charitatis & officij exemplum pertinet, non ad ministerium verbi. Caritas omnia sustinet, omnia suffert, sperat. Fides verò seu verbum nihil sustinet prorsus, sed arguit, devorat, seu, ut Hieremias*

dicit, evellit, destruit, dissipat, & maledictus est, qui facit opus Domini fraudulenter. Aliud est enim, Fabricij vitium laudare vel extenuare, aliud benigniter & suaviter curare. Primum omnium dicendum est, quid rectum & non rectum sit. Deinde, ubi auditor susceperit, tolerandus, & ut Paulus ait, infirmus in fide suscipiendus est. Tua verò ratio id efficit, ut nunquam veritas agnoscat, & tamen interim blanditiâ & fictâ humanitate præsumat vitium sanari. Obsecro te, mi Fabrici, cur exigis Lutherum, qui ad omnia vestra conniveat, solis literis blandiusculis palpat? cum sint tam infanda, qua vos molimini, & non estis contenti, quod parati sumus ignoscere & tolerare per charitatem. Quin ex postulatis, ut justificemus quoque, hoc est, ipsam doctrinam abneqemus per impietatem. Satis & plusquam satis tentatis me, optime Fabrici. Et ego satis & plusquam satis benigniter respondeo, cum longè severiorem responsionem merueritis, qui non modo non facitis, quod toties luditis & irridetis fucis, sicut vobis videtur, egregiis, sed sicut ego video, insigniter ineptis. Nos doctrinam pietatis tuebimur, quantis viribus possumus, offendat sive cælum sive tartarum. Habes itaque Lutherum, sicut semper habuisti, obsequentissimum mancipium, si modo pietatis amicus fueris. Rursus egregium contemptorem, si perrexeris cum tuo Cardinali ludere in re sacrâ. Summa esto. Charitas nostra pro vobis mori parata est. Fides verò si tangitur, tangitur pupilla oculi nostri. Charitatem expositam habetote omnibus, sive ludibriis, sive honoribus. Fidem & verbum adorari à vobis volumus & sanctum sanctum haberi. De charitate nostrâ nihil non præsumite, fidem verò nostram nusquam non timete. Ex eremo meâ, die Antonij M<sup>D</sup> XXII. Isti aculei animum Capitonis, religioni faventissimum, ita fauciarunt, ut cum, quod sperarat, apud Cardinalem obtinere se non posse cerneret, abire ex aulâ & liberiore loco servire DEO maluerit. Quamquam nec postea mutare prorsus animi indolem valuerit, & assuetæ æquabilitati nuncium mittere.

JOHANNES COCHLÆUS, VVendelsteinii in agro Noribergico

gico natus est, anno Christi 1503. Ab adolescentiâ Lutherorestitit, Philippo, quod ipse Lutherus scripto, ut vocat, viro armato, Cochleæ, opposito, testatur, adulatus est. Catholicorum partes, ut & hæc epistola tertia testatur, acerrimè tutatus, Moguntia primùm ad S. Victorem, post VVormatiæ Canonicus factus. Ubi anno M D XXI. sua sponte Lutherum accessit, atque ei ad ignem usque disputationem obrulit. Huic cum Lutherus respondere vellet, Comes quidam assidens suam auctoritatem interposuit. Postea & Augustæ Vindelicorum unâ cum Eccio contra Protestantes disputavit. Hinc factum, ut Francofurdienfis Decanus in monte B. Mariæ Virginis constitutus sit. Erasmo semper familiarissimus. Obiit 1552. Longum scriptorum ejum catalogum necit *Boissardus*, Dec. II. Ic. XXVII. Ubi & imaginem ejus depictam repræsentat. Inter opera ejus Liber de actis & scriptis Lutheri, ex puris putis mendaciis totus confusus, quem tamen vulgares Pontificiorum sacrificuli pro meris oraculis ubique adorant, omnem viro, cæteroquin non indocto, existimationem abrogavit. Paraphrases, ad quas Erasmus hortatur, quibus singulis judicia valdè temeraria præmisit, graves censuras à Lutheranis pariter atque Pontificiis Doctoribus meruerunt. Mellitissimis scilicet verbis Romanæ sedi addicti Erasmus, dum viveret, lætarunt, saltem ne Lutheranus fieret, qui Pontificiis jamdiu esse desierat. Addo encomium Thuani lib. XI. *Joannes Cochleus, insignis Theologus, & multis atque eruditis pro canonica scriptura & Ecclesiæ catholica auctoritate scriptis editis clarus, præterea acer in disputando & in comitiis ac colloquiis Augusta, Ratisbona ac Wormatiæ sapius cum Principum Protestantium Theologis magnâ cum laude congressus.*

*Petrus Curtius, Leonhardus Casperotus, (alias Casimbrotius) Henricus Botteus, Legum Doctor, (ad cujus epistolam responsio extat in Erasmanis, lib. XIX. p. 663.) Joannes Benedictus, alique, dum pro indole sectæ, cui addicti fuerant, Lutherum nonnunquâ acerbè feriunt, barbaricam tamen simul scholarū & monachorū fatalem eo*

tempore incitiam pariter atque malitiam graphicè depingunt, quam cum Erasmo Roterodamo, Martinus Lutherus & Philippus Melanthon, quamquam in coeteris diversam viam ingressi, magno successu felicissimè expugnarunt.

URBANUS REGIUS ad lacum Brigantinum natus est. Audivit Friburgi Ulr. Zasium, summæ eruditionis Jureconsultum, Ingolstadii Eccium, ubi & laureâ Poëtica Maximiliani Cæsaris manu coronatus & in Professorum numerum receptus est. Invitavit Anno D. M D XVI. adhuc Pontificiis erroribus immersus, Principis sui jussu Erasmus, ut Ingolstadium concederet, sed frustra. Epistola extat inter Erasimianas, lib. II. p. 90. Orta inter Eccium & Lutherum de religione controversia, Lutheri partes veriores ducens, Augustam, Anno M D XXI. discessit, ubi A. M D XXX. Melanthoni fideliter adstitit, & ab Ernesto Brunsvicensi ad gubernandas Ecclesias suas Cellam abductus est. Qua in functione ad finem vitæ perseveravit. Fatalis ei hora illuxit 23. Maji, M D XLI. Quam Erasmo laudem, epist. XII. admetitur, illa ei ex vero certè conveniebat. Primus enim bonarum literarum, cum saniore, quam qualis hæctenus Scholasticorum Theologorum fuerat, Theologia conjunctarum auctor in Germania, immò in Europa, erat Erasmus, magnamque ea in re Luthero atque Melanthoni lucem prælucebat. Sed, ut supra diximus, in pandendis intimioribus veræ Theologiæ recessibus & mysteriis, Luthero palmam cessit, quippe in implantandis mitioribus barbaro scholarum cœtui moribus potius occupatus. Scripsit autem Urbanus hanc epistolam inter initia animi cum Papismi superstitionibus colluctantis, Eccium, Præceptorem suum, nec sine merito ejus, adhuc magni faciens. Nam postea, ubi in accuratiorem Lutheri notitiam penetravit, eundem aliis omnibus longè antetulit. Cui rei duplex subjicimus Regii de Luthero judicium, ab Ernesto, Filio, in secunda Operum parte nobis conservatū, quorum prius è quadam Epistolâ ad amicū quendā, Augustæ tum agentem, è Lunæburgo, A. D. MDXXXIV. data, hoc

hoc est: Cum Saxoniam peterem, Coburgi integrum diem solus cum Lutthero, viro Dei, transegeram, quo die nullus in vita mihi fuit jucundior. Talis enim ac tantus Theologus est Lutherus, ut nulla secula habuerint similem. Hoc magis execror stultitiam & arrogantiam Carolstadianorum, (quibus nimirum, à Zvvinglio seductus, faciliorem antea, quam debebat, aurem præbuerat, conquerente id etiam aliquoties in epistolis Lutthero; quod in vita Regii verè, sed non candidè refert Melchior Adami; quippe qui reticere non debebat, Urbanum postea longè alium factum, Luttheri contra Zvvinglium sententiæ pertinaciter adhæsisse) qui sibi placent, quasi Lutthero queant conferri, cujus umbram non assequuntur cum omni eruditione, quam jactant. Semper enim magnus fuit Lutherus. At jam mihi maximus est. Vidi enim præsens & audiui, quæ nullo calamo tradi possunt absentibus. Itaque Regius Zvvinglium non pro socio reformationis, quem honorem ei Calviniani admetuntur, sed pro eo habuit, qui umbram Luttheri non assequeretur. Posterius ex epistola ad fratres in Christo suos, in superiore Germania agentes, his verbis incedit: Ego forsitan in judicanda vera doctrina non omninò truncus sic judico: neminem esse, qui possit odisse Lutherum, si eum noverit. Indicant libri spiritum Luttheri, sed si propius inspexeris hominem, si de rebus Divinis ipsum audieris Apostolico spiritu differentem, tum dices: vincit præsentia famam. Major est Lutherus, quam ut à quovis sciolo possit aut debeat judicari. Vide, quam magnifica DEI gratia sit in homine, cujus certè me non pudet. Dicam, quod sentio. Scribimus quidem passim & tractamus Scripturas, absit invidia verbo, sed Lutthero collati discipuli sumus. Hoc judicium non ex amore fluit, sed potius amor ex judicio. Neminem contemno. Malo contemni, quam laudari. Sed rursus contemni Lutherum electissimum, illud Spiritus S. organum, non patiar. Er bleibt noch wohl ein Theologus für der ganzen Welt / das weiß ich / ich kenne ihn nun basß dann zuvor / ehe ich ihne selbst gesehen und gehört. Conferenda sunt, quæ in Regii memoriam & merita nuper com-

mentatus est clarissimus Ecclesiæ nostræ Theologus, meusque in juvenilibus studiis commilito, *Elias Veielius*.

SIMON PISTORIUS, Ictus, Lipsiæ lucem primum adspexit, Anno MCCCCLXXXIX. Quo loco post assumptum Doctoris titulum promotore Jo. Lindemanno, jus civile magno cum applausu docuit, ab anno MDXIV. usque ad annum MDXXIII. quo in aulam à Georgio Saxonæ Duce evocatus, Cancellarii locum obiit, donec defuncto Principe, anno ejus seculi XXXIX. ad ordinarium Lipsiæ pulpitem, & potito rerum Mauritio, anno XLII. ad Archigrammatei dignitatem vocaretur, quam sexto post anno cum privatâ vitâ commutavit, fatis defunctus in pago gentili Seusfeliz, Anno MDLXII. Quam acerbus Lutheranzæ reformationis hostis GEORGIUS fuerit, publicè notum est, neque admirandum, si judicium Principis primarius ejus minister fuerit secutus, nunquam ita judicaturus, si sub saniore Principe, Mauritio, stipendiâ maturius meruisset.

NICOLAUS GERBELIUS, Pforzhemii in patriâ nostrâ natus, latinæ græcæque linguæ scientissimus, juris scientiam primò Viennæ professus est, postea Argentoratum ad capeffendam Historiarum professionem discedens edendis varii generis scriptis memorabilem operam navavit, morte sublati, Anno MDLX. cui eximio hoc encomio verè candidèque parentat *Thuanus*, libri vicefimi sexti fine: *Nicolaus Gerbelius Pforzensis, vir optimus & pariter doctrinâ ac suavitate morum excellens, decrepitâ atate senex.* Quem & Lutherus amavit, atque ei filium primogenitum ex S. baptismi fonte suscepit, cujus ad ipsam epistola, fervidissimi affectus plena, n. xxx. extat.

HIERONYMUS PAUMGARTNERUS, Noribergæ in lucem ex familiâ Patriciâ editus, A. M. CCCXCIX. ad senatorios aliosque in patriâ honores evehctus, anno superioris seculi XLIII. è conventu Spirensi, quo missus à civitate fuerat, domum rediturus, in itinere à quibusdam, qui se Svevici federis hostes profitebantur, interceptus, inque diversis latebris abditus, diuque vexatus fuit. De  
quâ

quâ hujus viri calamitate Ph. Melanthon in epistola ad Joach. Camerarium: *ad vulnus, quod domestica mihi calamitas facit, accessit alterum, Hieronymo Baumgartnero capto, quem multis de causis verè & ex animo diligo. Quem enim ullâ in civitate virum melius meritum de suâ rep. de Ecclesiâ, de studijs literarum, aut magis ornatum domesticis virtutibus, nominare possumus?* Liberatus ex captivitate, anno XLV. patriæ inservivit, ex hac vitâ evocatus anno LXV. E cujus gentilibus procul dubio fuit JOANNES BAUMGARTNERUS.

PETRUS JOANNES OLIVARIUS, Valentia in Hispaniâ oriundus, Theologicis scriptis, præcipuè tractatu de Prophetiâ & Spiritu Prophetico inclaruit, A. MDXXXVI. Ex eadem Hispaniâ prodiit ALFONSUS FERNANDEZ, Archidiaconus Alcoranus. Plures eò nomine vixisse conicio ex libro, qui hujus seculi anno XVI. editus extat: *predicatoriam concertationem complectens pro Ecclesiâ catholicâ contra hæreticos, Gentiles, Judæos, Mahummedanos.* Antonii Senensis exscriptorem facit Ph. Labbeus, apud Thomasius, de Plag. Liter. §. 428. Extat autem ad hanc Fernandii Epistolam responsio Erasmi, libro XIX. p. 669.

HENR. LORIT. GLAREANUS, anno MCCCCLXXXIX. luce donatus, Friburgi & Basileæ docuit, usque dum moreretur, anno MDLXIII. In Mathematicis, Poësi, bonisque literis aliis versatissimus, multos antiquitatis auctores commentariis illustravit. De ejus tamen stilo Erasmus ipse in Ciceroniano: *Maluit in philosophiâ ac Mathematicis disciplinis consensescere, quam emulari phrasin Ciceronianam, cui vix convenit cum subtilitatibus.* Quem alioquin inter clarissimos sui seculi viros retulerat, lib. I. Ep. ad Cap. p. 9.

THOMAS MORUS, Angliæ sub Henrico IIX. Cancellarius, hostili semper odio Lutherum & resurgentem sub eo Evangelii doctrinam profecutus, cum nec divortium Regis, nec decretum, quo Pontificis abrogatâ dignitate, profitebatur, se caput esse totius per Angliam Ecclesiæ, approbaret, captus & capite multatus est, Anno MDXXXV. narrante libro nono Jo. Sleidano.

Cum

Cum Lutherus acri stylo Angliæ regem impetiisset, à quo Morus summis, quæ in conscripto à se sibi Epitaphio apud *Boissardum*, lib. II. Ic. XLIX, prædicat ipse, beneficiis & dignitatibus inactatus fuerat, non tantum *Responsonem*, ut vocat, *ad convitiâ Martini Lutheri, coniectâ in Henricum, Regem Angliæ, ejus nominis octavum*, conscripsit, sed & flabellum, ultionis studio, fuit, quibus alii, præcipuè ii, qui tum scientiarum principatum tenebant, adversus Lutherum irritarentur. Sed istæ tenebrarum potestates non poterant omni vi suâ cursum Evangelii sufflaminare, quin vivo adhuc Moro & ex invidiâ pereunte in ipsam Angliam felicissimè penetraret.

HENRICUS CORNELIUS AGRIPPA, Coloniam Agrippinam patriam habuit, in qua natus est, anno 1486. Decessit verò A. 1534. Supremum in Jure atque in Medicinâ gradum adeptus Dolæ Burgundiorum & in Ticinensi Gymnasio docuit. Postea Carolo. V. Cæsari à consilio Judiciario & Archivis fuit. Principum quoque castra secutus sua fortitudine effecit, ut armatâ militiæ Eques auratus crearetur. Cum libros ederet de incertitudine & vanitate scientiarum, de occulta philosophia & scientiis quibusdam abditis atque Astrologiæ deditissimus esset, atheismi & Magiæ suspicionem incurrit, quam criminationem edita Apologia diluit quidem, sed non omnibus persuasit. De cujus mordaci indole dicitur circumfertur: *Inter Divos nullos non carpit Momus. Inter Heroes monstra quæque insectatur Hercules. Inter demones rex Erebi Pluto irascitur omnibus umbris. Inter philosophos ridet omnia Democritus. Contra deflet cuncta Heraclitus. Nescit quæque Pyrrhias. Et scire se putat omnia Aristoteles. Contemnit cuncta Diogenes. Nullis hic parcit Agrippas, contemnit, scit, nescit, flet, ridet, irascitur, insectatur, carpit omnia. Ipse Philosophus, demon, Heros, DEUS & omnia.*

JO. STURMIUS, lucem primum adspexit Sleidæ, in Ubiis oppido, anno Christi MDVII. Lovanii parata suis sumptibus officina typographicâ Homerum excudit, eumque secum Lutetiam Parisiorum



rorum, anno MDXXXIX. importavit, docendi ibi græcas latinasq;  
 literas publicum officium consecutus, quo per octennium, non  
 tamen sine periculo, cum veritatem Evangelicam & agnosceret  
 & profiteretur, fugebatur. Vocatus Argentoratum anno  
 MDXXXVII. scholam illustrem & constituit & ornavit & ad  
 culmen Academicorum privilegiorum evexit, Anno xli. perpetuus  
 ejus rector, (quò onere tamen a. LXXXI. liberatus est) anno  
 verò LIV. Capituli Thomani Præpositus declaratus. Vir ut  
 inexhaustæ & doctrinæ & laboris: ita tantæ existimationis &  
 famæ, ut à nemine non Cæsarum, Regum, Principum, Rerump.  
 oblato stipendio amplissimo, expeteretur, ut in gravissimis  
 quibusvis consensibus ad deliberationes de religione, missus à  
 rep. Argent. legatus, adhiberetur, ut plures denique Principes,  
 Comites, Barones, Equites, in Europâ numeraret discipulos,  
 quam alii, etiam celeberrimi doctores, vulgares & plebeios.  
 Quibus rebus ut immortalæ meruit nominis sui & meritorum  
 commemorationem: ita, qui purioris religionis innocentiam  
 sincero amore complectuntur, nunquam negaturi sunt, gra-  
 vissimam extitisse Jo. Marbachio & Jo. Pappo causam, cur  
 Sturmio, vel clam vel palam Calvinianis non obscuris indiciis  
 faventi, & si per ipsum stetisset, Zvvinglianissimum Ecclesiæ at-  
 que scholæ insinuanti, sese primò privatim & deinde publicè  
 opponerent, quamquam in scriptis Sturmio suis, specioso utens  
 prætextu, nunquam negotium religionis, sed causas longè alias  
 se agere simulaverit. Inde est, quod & dum viveret, solis iis fa-  
 miliariter convixerit, qui Calvinianorum placita vel apertè am-  
 plectebantur vel religionis certè Calvinianæ atque Lutheranae  
 discrimen susque deque habebant; & cum moreretur, à solis  
 Reformatis, quod hoc quidem negotium attinet, impensè fue-  
 rit laudatus. Quæ enim est ista Melchioris Adami confidentia,  
 de concertatione ejus cum Pappo scribentis: *Usus est fortuna  
 varia, inter cetera etiam orbatu visu, qua tamen omnia, licet qua-  
 dam ex illis satis dura fuerint, ut concertatio cum Pappo, heroicâ  
 prorsus*

prorsus magnanimitate, patientiâ & constantiâ prope Divinâ non toleravit modo, sed etiam superavit, nihil interim remittens de veritate semel agnitâ. De Pappo verò aliisque, ne Calviniani errores ovili ipsis commisso damnnum irreparabile inferrent, sedulo vigilantibus, subjicit: *Libellos veriticos & stentoreas illas pro suggestu publico voces* (ita cordatas in veritatis adversarios invectivas, sanctissimo Christi exemplo toties consecratas, appellat) *graviter improbavit*: (nec mirum hoc est, cum ei non potuerint non esse molestâ) *laudavit contra principes & inter eos Reginam Angliâ, quæ neque in scriptis neque in concionibus quicquam pronuntiari passâ est, quod cuiquam Evangelicæ parti (Lutheranæ scilicet & Calvinianæ) nocere possêt.* Quæ moderatio genium arguit, religionum in fundamento dissidentium differentiam nihili reputantem & à genuinis Lutheranis jamdiu communi calculo damnatum. Poterant verò Sturmii conatus eò difficilius reprimi, quia favorem iis conciliata diuturnis in rem literariam meritis viri auctoritas pepererat. Quam quo pondere senex sibi asserat, quâ severitate avolaturam vel tueatur, vel revocet, hæc quoque Epistolæ subinde produnt. Fatis concessit Sturmius, anno M D LXXXIX. laudatus quoque à *Thuanus*, libri nonagesimi sexti fine.

JACOBUS SADOLETUS, Mutinæ, Italiæ urbe, ortus, utprimū singulari doctrinæ fama cluebat, una cum Petro Bembo, à Leone X. ex omni doctorum numero delectus est, cujus in conscribendis Epistolis opera & ingenio uteretur. Cum postea in Episcopatu Carpençtoratenſi obeundo rectè fideliterque sese gessisset, à Paulo III. magna totius collegii Apostolici lætitia in Cardinalium numerum cooptatus est. Scriptor (hoc cum elogio *Thuanus* insignit, libro tertio sub finem) *versu & pedestri oratione politissimus, cujus seria fuerunt omnia & digna personâ, quam sustinebat.* Decessit non sine veneni suspitione, anno Domini M D XLVII. Quatuor enim Cardinales, docti & boni viri, P. Bembus, J. Sadoletus, C. Contarenus & J. Campegius properata mor-

ta morte occubuerant, eò quod cum iis, qui à Romanæ religio-  
ne discordant, aliquam familiaritatem habuisse crederentur.

Sequuntur hunc Sadoletum in octavo hoc Epistolarum li-  
bro ex iis, qui Romanæ Ecclesiæ contra Lutherum adhaferant,  
nonnulli, quorum nota sunt nomina, & alii, qui paulò sunt ob-  
scuriores. Plerique tamen in monachorum mores & deprava-  
tas Ecclesiæ consuetudines invehuntur. *Alphonsus Virvesius*,  
Benedictinus Canariensium Episcopus, scriptis quibusdam ad-  
versus Lutherum inclarescere annis est. *Caspar Ursinus Ve-*  
*lius*, in Silesia natus, Poëta & Orator, græcè atque latinè doctus,  
5. Maji M D XXXIIX. subito amissus est. Quidam in Danubium  
injectum existimarunt. De quo in Ciceroniano Erasmus: *Ve-*  
*lius in carmine felix, nec infelix in oratione solutâ. Spirituum &*  
*urbanitatis habet affatim. Ubi prodierit historia, quam de rebus*  
*à Pannoniæ & Bohemiæ Rege, Ferdinando, gestis texere dicitur, cer-*  
*tius pronuntiabimus. Mihi certa res est, illum & Principis clari-*  
*tati & rerum magnitudini facundia viribus responsurum.* Ejus ad  
Erasnum Genethliacon extat in epist. Erasmi lib. I. p. 62. Nec  
diversum expertus est fatum *Joannes Valdesius*, natione Hispa-  
nus, qui Romæ literis & industria & magnorum principum gra-  
tia ad magnas divitias evehctus, multis quoque officiis ecclesiasti-  
cis clarus habebatur. Cum deperiisset virginem, viri Senatorii  
filiam, ejus gratia permisso Pontificis abdicato sacerdotio, ita  
animo ob interclusos ista ratione opulentos reditus affligebatur,  
ut ex editissimo loco in viam mediam se præcipitem daret, ossi-  
busque collisis statim exanimaretur. Rem fusè narrat *Jo. Pier.*  
*Valerianus*, libro de literatorum infelicitate. Est & *Alphonsus*  
*Valdesius*, Johannis Germanus, Theologiæ Professor & Concio-  
nator Burgis, Caroli Casaris Secretarius. Ad utrumque Erasmi  
extant epistolæ. Sed Alphonsus ejus esse auctor videtur, quæ  
hoc loco comparet. *Jo. Genesius Sepulveda*, anno MCCCCXI.  
natus & fatis functus anno M D LXXII. De quo integrum appo-  
nam *Jac. Aug. Thuanus*, libri quinquagesimi quarti fine, judicium.

*Sepulveda, inquit, Salmantica sacri collegij sodalis, vita cursum cum seculo numerabat. Homo græcè latineque doctus & Philosophicis studiis clarus, quod erudite ejus lucubrationes edita testantur; sed partibus obnoxius, & quamquam Theologum professus ab humaniore sententiâ, quæ Theologum magis decebat, alienus. Nam cum Bartholomæus Casa, qui Carolo V. Casari à sacris confessionibus erat, apud eum ante XIIX. annos de Hispanorum Indias ad occidentem vastantium avaritiâ, crudelitate & libidine conquestus esset, tantique principis mandatu, de re totâ certius coram cogniturus, in Indias trajecisset & reversus dictis majora se vidisse testatus, Pincia in Concilio instaret, ut modus immani licentiæ poneretur, alioqui fore, ut DEUS eâ immanitate irritatus imperio Indiarum Hispanos exueret & cepta Divini verbi promulgatio illis locis, quæ causa justæ contra Indos gerendi belli obtendebatur, minimè procederet, reperti sunt tamen, qui lucrum ex eâ intemperie captantes factum excusarent. Quorum causam tuendam Sepulveda suscepit & per Divina & humana jura Hispanis, quod facerent, licere dixit, quippe qui in bello captos tanquam servos belli jure uterentur. Idque libro complexus est, quem cum edere omni ratione cuperet, intercessit Casa & Segobiensis Episcopus. Itaque negotium rursus in diversis Hispania confessionibus agitatatum fuit, tandemque decretum, ut quando res ad conscientiam pertineret, Theologorum super eâ sententiæ exquirentur. Id actum anno hujus seculi XLVII. Secundum hoc consulti Compluti & Salmantica Theologi post longas altercationes censuerunt, è re Christianâ esse, ut liber Sepulveda, tanquam doctrinâ minus sana refertus, non ederetur. Neque propterea Sepulveda quievit, sed Romam ad amicos eum misit, ut ederetur. Cum rursus Casar per oratores suos prohibuisset & interim omnia exemplaria in Hispania reperta suppressi curasset, nihilominus Sepulveda in pertinaciâ perseverans, & turpe vinci astimans, cum Casa & Segobiensi episcopo publica concertatione committi petijt & obtinuit. Nam triennio post publica disputatio instituta est, cui Dominicus à Soto, magni nominis Theologus & Casari ipsi à sacris confessionibus,*

interfuit, isque exitus actionis fuit, ut Casare aliis bellis occupato, potius permessa quam approbata Hispanorum in Indiis grassandi licentia fuerit. *Damianus à Goës*, Lusitanus, Ulyssiponem peculiari libello celebravit, legationem quoque Æthiopicam stilo expressit. *Thomas Lupsetus*, Leodientis, de formando optimo vitæ statu, itemque de morte homini Christiano non pertimescenda scribendo famam nominis sui dilatavit. Ad quem aliquot Erasmi extant epistolæ, inprimis lib. XIV. *Joannes Maldonatus*, Jesuita Hispanus, Commentariis in Evangelistas post mortem ipsius editis celebris, de quo lib. LXXIIX. *Thuanus*: ad exitum *Philosophia & Theologia studium singularem pietatem, morum candorem & acerrimum iudicium asserens, magnâ cum laude & frequenti omnium ordinum concursu docuit.* Mortuus Anno MDLXXXIII. *Natalis Beda*, Parisiensis Theologus, cujus ingenium aliquoties in his epistolis depingitur, scriptis inprimis adversus Fabrum & Erasmus innotuit. Vide Erasmi ad ipsum Epistolam, lib. XIX. p. 687. *Jacobus Zieglerus*, quem Jovius in terra Gothica natum & educatum tradit, Viennæ Auftriacæ docuit, commentatus in selectos Scripturæ locos. A Thuano vir exquisitissimæ doctrinæ vocatur, cujus nec obscura vestigia in præfenti epistola expressit. Extat & Erasmi ad ipsum epistola, lib. XX. p. 758. De *Q. Septimio Florente Christiano Thuanus*, lib. CXVII. *Utriusque lingua peritia & versum iisdem linguis pangendarum laude cum priscis ipsis comparandus, adhuc ingenio excelso & liberali praditus, ut nihil serviliter & contra animi sententiam, ut aliis placeret, quod plerique alij calamo venali faciunt, scriberet: interdum mordaciter, ita tamen, ut non tam sensum doloris in eorum ingenis, quos mordebat, quam stimulum ad se ab iisdem amandum relinqueret.* *Henrico Galliarum Regi* ab institutione fuit. Deceffit anno MDXCVI. *Hugo Blotius*, Delphius, Aristotelis libros de moribus Argentorati enarravit, anno MDLXV. Orationibus editis clarus. Ad *Franciscum Dilsum*, peregrinationibus memorabilibus defunctum, epistola extat Erasmi, lib. XIX. p. 678.

APPARAT. CAP. IV.

*Joannes Heemstedius*, Carthusianorum Lovaniensium Procurator. Ad eum aliquot Erasmi epistolæ leguntur. lib. xix. p. 73. *Ludovicus Alardetis*. Est & ad hunc epistola Erasmi responsoria, lib. xx. p. 730. *Ludovicus Berquinus*, Theologus Parisiensis. Ad quem plures Erasmi leguntur epistolæ. De cujus morte *Erasmus* lib. xxiv. epist. iv. ad Carolum Utenhoium: 10. Calend. Majas vitam morte commutavit, exustus Lutetiæ in Gravia. De causa nihil certi hætenus potui cognoscere. Tantum autem iudicibus duodecim delegatam pronunciandi autoritatem. Quum instaret dies, hominem fuisse traditum carceri. Hoc parum felix augurium. Pronunciatum est, ut exustis libellis & abjuratis articulis, lingua illi ferro perfoderetur, mox perpetuo carceri dederetur. Is audita præter expectationem atroci sententiâ, regem appellavit & Pontificem. Judices indignè serentes appellandi verbum: si non recipis, inquit, hanc sententiâ efficiemus, ne post hæc quoquã apelles, & postridie pronunciatum, illum flammis tradendum. Ajunt, primum articulum fuisse, quod scripsisset, in rem esse pietatis, ut sacri libri in linguam vulgarem translati legerentur à populo, id quod Senatus fieri vetuerat. Adhibiti sunt satellites armati sexcenti, qui cobiberent, si quid oriretur tumultus. Sunt & ad *Paulum Volzium*, Abbatem monasterii, quod vulgò dicitur curia Hugonis, aliquot Erasmi Epistolæ.

*Georgius Vvicelius*, addictus initio Protestantium partibus, Presbyter uxoratus, recessit inde circa annum MDXXXI. ad Romanos, vanâ, ut celeberrimo *Conringio* videtur, in Præf. ad viam Reg. quadam opinione ductus, quasi bonorum operum studium à nostris frigidius justo urgeretur & sine schismate religio atque Ecclesiæ *innoxia* ad auream illam priscam faciem reduci posset. Primum Fuldæ, tum exinde expulsus Moguntiæ ab anno LIV. usque ad LXXII. docuit, ubi tandem fatis concessit grandævus senex. Scripta ejus prope innumera recenset *Boissardus*, Part. IV. Jc. ult. in quibus licet in nostros frequenter invehat, Ecclesiæ tamen etiam Pontificiæ vitii nihil indulget, omnia ad veteris Ecclesiæ exemplum, quamquam irritò conatu, exigens.

A Fer-

DE EPISTOLARUM SCRIPTORIBUS.

A Ferdinando & Maximiliano, Cæsaribus, una cum Cassandro, consultus, quomodo Ecclesiæ vulnere coire & pax inter dissidentes coalescere possit, moderatissimum consilium sub nomine *Via Regia* exhibuit, ab Hermanno Conringio cum memorabili Præfatione editum, anno MDCLIX.

Jo. LUDOVICUS VIVES, ex Hispania Valentinus, humanarum Divinarumque artium per totam vitam, quam ad annum usque MDXLI. produxit, studiosissimus, summam eruditionem cum eloquentiæ & optimarum virtutum laude conjunxit, lucubrationibus de vario doctrinæ genere, circa emendandas in primis disciplinas occupatis, immortalē nominis gloriam adeptus. Scripta recenset Jo. Jac. Boissardus. In quibus Erasmus, ut præceptorem suum, semper & ubique veneratur, ei in judicandi facultate à nonnullis etiam prælatus. Obiit Brugis Flandrorum.

CONRADUS GESNERUS, Tiguri natus, anno MDXVI. Denatus ibidem MDLXV. Ex operibus, quæ magno numero edidit, quæque Melchior Adami, & longè accuratius ex Gesnero ipso Jo. Jac. Boissardus recenset, toto orbe notus & celebratus. Verè de eo Thuanus: *Incredibili juvenandæ rei literariæ studio ad ultimum usque vitæ spiritum flagravit, cum lue pestiferâ correptus jam viribus linquentibus ad ordinandam non rem domesticam, sed rem librariam è lecto surgeret, ut quæ vivus publicare non potuerat, post mortem ejus ad reip. utilitatem edi possent.* Animalium verò Historiam, quam indefesso studio, (legerat enim hac fini auctores græcos latinosque ducentos & quinquaginta) quam curiosa sollicitudine, (nam ad indagandas quadrupedum & piscium naturas longinquas in Italiam & ad Oceanum usq; peregrinationes instituerat, contuleratque ubique terrarum cum doctis pariter & indoctis, nautis etiam atque pecudum custodibus) quam accurato judicio compositam in publicum dederit, & res ipsa loquitur & vitæ ejus enarratores amplius prædiderunt.

HULDRICUS ZASIUS, Constantiæ natus anno MCCCCLXI. Friburgi Brisgoiorum jus civile & Canonicum magna famæ exi-

stima-

firmatione docuit usque ad annum MDXXXV. Erasmo semper carissimus, qui morientem hoc carmine laudavit:

*Siccine mors crudelis & invida praripis orbi  
Ulrichum Zasium, decus admirabile juris,  
Casarei simul & sacri, (paucissima dixi)  
Immò doctrina totius & artis honesta  
Theaurum ac mundum locupletem? cujus ab ore  
Manabat sermo vel melle suavior omni.  
Quid nunc collaudem summum pietatis amorem  
Et mentem caelo dignam? Quo jam illa soluta  
Corporis involucris fruitur, sine sine beata.  
Quod superest, te compello, studiosa juventus,  
Tandem pone modum lacrymis, iustoque dolori.  
Vocis adempta tibi Zasiana copia: verum  
Extant ingenij monumenta perennia, qua si  
Assiduè manibusq; teras, oculisque frequentes,  
Spirat in his, loquiturque viri pars optima semper.*

GEORGIUS AGRICOLA, Glauchæ in Misnia aërem primum hausit, medicinam in Valle Joachimica & Chemnitii fecit, per totam vitam rebus subterraneis & Metallicis indagandis intentus, in quibus eos magna industriâ edidit cum artificiosis picturis libros, ut in eo genere, iudice Bodino, Aristoteles ac Plinius præ eo nihil intellexisse, videantur. Primum reformatæ per Lutherum religioni favit, postea mutatâ sententiâ Pontificiæ immortuus. Quare nec corpus ejus Chemnitii sepultum, sed Cizam delatum fuit. Laudat cum eximiè Thuanus, libro XVI. Mortuus autem est MDLV. natus, MCCCCXIV.

DE OBERTO GIPHANIO supra dictum. FRANCISCUS HOTTOMANNUS, vivere cœpit anno MDXXIV. desiit, MDXC. Lutetiæ in Gallia natus Laufannæ primum, postea Valentix & Avarici Biturigum docuit. Post tumultum Parisiensem Gallia profu-



profugus ad montem Pelicardi, Argentorati, Genevæ & Basileæ larem fixit. Variis cum jus civile tum antiquitatem Romanam illustrantibus operibus, præcipuè libro, cui *Brutum Fulmen* nomen dedit, illustris, quo invictis argumentis probavit, excommunicationem Pontificis in Henricum Navarrenum districtam nullo jure validam esse, eoque tantam iniit apud Pont. gratiam, ut in prima classe prohiberentur omnia ipsius scripta in expurgatorio indice. Laudat eundem *Thuanus*. lib. XCIX.

HENRICUS STEPHANUS, tot preciosissimis libris in typographia sua impressis, tot lucubrationibus ex proprio ingenio editis, cum in Apologia pro Herodoto in sacrum cucullatorum ordinem graviter peccasse judicaretur, ipso in nivosis Averniæ montibus latitante, cremata à tortore. effigies pro ipso pœnas luit. Multis dein peregrinationibus diu in Germaniâ vagus, cum patriam oblivisci non posset, Lugdunum se contulit, ubi opibus atque ipso etiam ingenio destitutus, vitæ, tot exantlatis pro rep. literaria laboribus, in nosocomio finem fecit. Narrat *Corn. Tollius*, libro de literatorum infelicitate.

THEODORUS BEZA, vir inter Reformatos incomparabilis & ingenii & doctrinæ, in omni literarum genere excellens. natus Vezeliis, vetusto Heduorum oppido, anno MDXIX. expiravit Genevæ, ubi longo tempore docuit, anno MDCV. Brevem vitæ ejus consignationem habes apud *Thuanum*, libro CXXXIV.

LAURENTIUS TUPPIUS, Gryphisvaldiæ in Pomeraniâ natus, anno MDXXIIX. Præceptore usus Philippo Melanthonè in Gallia in primis Juris studio incubuit, cujus professio Argentorati ipsi demandata est, anno MDLXIII. Mortalitem exiit anno MDCXIV.

PHILIPPUS GLASERUS, Argentoratium patriam nactus est, anno MDLIV. Præceptorem primò Classicum, deinde Græcæ Linguae & tandem historiarum egit, ex Syngrammate Historiæ Theoreticæ à se evulgato notus. Decessit anno MDCL.

HIERONYMUS VVOLFIIUS, in comitatu Oetingensi natus,

22

anno

anno MDXVI. varia in juventute fortunâ jactatus, primum promotorem Philippum Melanthonem expertus est. Cum versione quorundam græcorum auctorum famam sibi conciliafset, à Fuggeris Augustam Vindelicorum accitus & cum Bibliothecâ, tum Gymnasio Annæano præfectus est. Quo in officio optimos auctores Græcos emendando & interpretando utilissimam posteritati operam collocavit. Lithias sublatus anno M D LXXX. Laudat eundem *Thuanus*, lib. LXXI.

Cæterorum, quos hic omisi, notitia ad me non pervenit, nec tanti etiam referre videtur, ut de iis simus anxie solliciti.

## CAPUT V.

De

## STUDIO IMITANDI VETEREM ECCLESIAM, EX HIS EPISTOLIS ELUCENTE.

**A**Ntiquæ Ecclesiæ ea semper apud recentiores veneratio fuit, ut gloriosum judicaretur, & doctrinam priscorum & prudentiam imitari. Quam enim rectius ecclesiam in exemplum tibi constituas, ad quam & fidem tuam conformes & unde veriora vivendi agendique documenta depromas, quam eam, quæ à manu auctoris sui calida, à summis & falli nesciis doctoribus in pulcherrimam compagem extracta, Divinis præfidiis & admirandis toti orbi adminiculis ornata, inter illustrissima martyria & amplissima providentiæ testimonia, per aliquot secula ita effloruit, ut supremi in eâ Numinis præsentiam & amici revererentur & stuperent inimici? Quoties vel de puritate doctrinæ, vel de gubernandæ ecclesiæ ratione disceptabatur, post facrarum literarum majestatem, vetustissimorum Doctorum oracula consulebantur. In secundo seculo Apostolorum, quique eorum vestigia premebant, primorum ecclesiæ præsulum, Clementis,

mentis, Ignatii, Barnabæ, Papiæ, Lini, Cleti, Anacleti, Evaristi, vita factaque laudabantur. In tertio præter hos Polycarpi, Melitonis, Dionysii, Musani, Aquilæ, Hermetis, Rhodonis, Iustini, Athenagoræ, Theophili, Irenæi, Alexandri, Telephori, Sixti, Pii, Pantæni, Narcissi, nomina audiebantur. In quarto imitandi prædicabantur Hippolytus, Beryllus, Cajus, Malchion, Firmilianus, Anatholius, Tertullianus, Origenes, Minutius, Cyprianus, Victorinus, Arnobius, Clemens, Ammonius, Gregorius, Pamphilus, & qui eos præierunt, innumeri alii. Nec unquam destitit ecclesia, decessorum suorum, si veram fidem immotâ constantiâ fuissent professi, vel in asserenda doctrinæ veritate, vel in propagando Divini depositi ardore, vel in regendâ, conservandâ, amplificandâ ecclesiæ prudentiâ, studium omninisi, omni conatu imitari. Postquam à primigenia fidei vitæque innocentia degenerare ecclesia & commaculari tetrīs erroribus, deturparique corruptissimis vitæ moribus cœpit, qui subinde repurgandis ejus vitiis incubuere, ad primævum antiquæ ecclesiæ statum delapsos à veteri munditiæ cœtus, quantum in se erat, revocarunt. Testantur id omnis ætatis, omnium seculorum concilia, quibus ea semper cura navata fuit, ut ad veterem formam, sive doctrinam spectes, sive ritus & mores, depravatæ temporis tractu & sæculi consuetudine redirent ecclesiæ. Quamquam enim prisca ecclesia, accuratè loquendo, propria norma & regula, ab omni erroris periculo immunis, non sit, ad quam ita dirigi & examinari nostram oporteat, ut immotam veritatis ἀσφάλεια præstet, quippe quod axioma soli verbo Divino, in S. Literas redactò, meritò tribuitur, praxis tamen ejus testis hodie loco nobis esse potest, *ostendentis atque explicantis, quomodo singulis temporibus S. Litera in articulis controversis in Ecclesiâ DEI à doctõribus, qui tum vixerunt, intellecta atque explicata fuerint, & quibus rationibus cum cœtus à vera Ecclesia devij, tum dogmata cum illa pugnantiâ rejecta atque condemnata sint*, ut p. 572. loquitur concordiæ nostræ Formula. Hanc itaque ob causam,

& ut aduersariorum; qui ad decipiendos simplices antiquitatem perpetuò in ore habent, gloriatio retundatur, ut novitatis suspicio declinetur, ut ecclesiæ DEI & Christi Sponsæ debita reverentia exhibeatur, antiquitatis praxin in exemplum nobis ob oculos ponimus, & cum Augustana Confessione, art. XXI. *ad catholicam Ecclesiam*, vel etiam *Ecclesiam Romanam*, quatenus ex scriptoribus nota est; cum Apologiâ Augustanæ Confessionis ad Ecclesiasticos patres & scriptores veteres; cum Articulis Smalcaldicis ad veteris Ecclesiæ communissimam consuetudinem; cum Formula Concordiæ ad antiquitatem eruditam, ad totius catholice Ecclesiæ magnum consensum provocamus, neque tamen ad nudum illum consensum, sed quatenus illum vetus & orthodoxa Ecclesia ex S. Scriptura fundamentis desumptum ad nos incorruptum transmisit. Nervosè Nilus Thessalonicensis, libro de purgatorio igne, p. 151. ὅτι τὸ κρινεῖν ἀφ' ἑσθραῖος δὲ ἐκ τῆς ἀνατολῆς, τὸν θεὸν παρακαλεῖται ὡς κρινεῖται Χριστῶν. id est, Bonav. Vulcanio interprete: *ad communem totius Ecclesiæ sententiam respicimus & S. Scripturis tanquam regulâ & normâ utimur.*

Cum superiore seculo merse in profundam caliginem ecclesiæ, operâ summi Germanorum Theologi, MARTINI LUTHERI, restitui primævoni cœpissent, idque tam necessarium Christianorum salutis negotium indefesso studio & magnâ prudentiâ pertexerent postea ecclesiarum ubique præfules, veterum in tam admirando opere diligentiam & sapientiam eos ante oculos semper habuisse, dubitari non debet. Id quamquam universim in omnibus circa salutarem reformationem occupatis actionibus posset ostendi, in eam tamen amplitudinem egrediendum nobis non est, quum propositum nobis sit, eam solummodo prudentiam, quæ per epistolas ecclesiæ curam agit, intueri, & quomodo recentior hæc nostra ecclesia veterem illam exprimere consilio, industriâ, fide, successu annisa fuerit, utriusque epistolas hac fini comparando, planum facere.

Ut autem prudentia, cum circumspeditione atque dexteri-

tate

tate conjuncta, ad res Ecclesiæ rectè atque utiliter administrandas prorsus necessaria est, cum nec re familiari atque privata, nedum negotio Ecclesiæ, omnium difficillimo maximoque, citra eandem prosperè defungi queamus, atque ideò suis præcipiat Christus: *estote prudentes, sicut serpentes.* Matth. X, 16. ita eandem vel provida mater, natura, suggerit, cujus indulgentiam in Attico, Constantinopolitano Episcopo, *Socrates* laudat: *φρονίμῳ φρονίμῳ* ait, *naturali prudentia pollebat*; VI. H. E. cap. XIII. vel acquirit & confirmat judicium, & experientia, partim propriis, partim alienis exemplis subnixa, quod naturæ deest, compensat. Hæc verò post seriam Divini Numinis invocationem ex Ecclesiæ anterioris historiâ, frequenti lectione & maturo judicio memoriæ impressa, hauriuntur. Illa enim innumeros nobis casus suggerit & varias, easque notatu dignissimas, vicissitudines, quibuscum subinde Ecclesia consuebat. Illa Ecclesiam nobis repræsentat, nunc in jucundissimo flore, nunc in grâvi periculo constitutam, nunc prosperè agentem, nunc positam in extrema calamitate, nunc ab hæreticorum phalange petitam, nunc hostium insidiis oppressam. Illa recenset, quibus subsidiis usi Ecclesiarum doctores Ecclesias erexerint, quibus artibus emendaverint, qua pietate conservaverint, quo ardore adversus inimicos defenderint, quo studio ad posteros propagaverint? Ex illa edocemur, quæ funesta fata Ecclesiam invaserint ex contentionibus, dissidiis, impietatibus, æmulationibus eorum, qui regere ordinem Ecclesiæ & rebus ejusdem præesse debebant? Ut in tuto tranquilloque statu illam collocaverit industria, severitas, eruditio, prudentia doctorum? Ut summatim dicam, veram in rep. Ecclesiasticâ imperandi artem oculis sibiicit. Neque id sine singulari Divinæ providentiæ dispositione factum esse, id argumento est, quod ipsi talium rerum scriptores, aliorum se utilitati & commodo, fata Ecclesiæ & gubernationis arcana, ut nempe ex eorum lectione Ecclesiam & ipsi suam, iisdem semper fatis obnoxiam, iisdem artibus cœmendandam, ædificent, tam enucleatè commemorare subinde fuerunt

fuerunt testati. Inter quos sub libri primi exitum notanter Theodoretus: *existimavi, haud sine scelere fieri potuisse, ut factorum splendidissimorum, καὶ δεινότητων διανοημάτων, utilitatis plenarum narrationum gloria oblivioni traderetur.* Sed hanc utilitatem imitandi veterem Ecclesiam, peculiari opusculo, eleganti certè atque erudito, exposuit pluribus argumentis *Nic. Vedelius.*

Quamquam verò prudentia isthæc in infinitos sese actus, pro materialium & objectorum diversitate, diffundat, nobis tamen sufficiet, præcipuos signasse, qui in negotio religionis atque Ecclesiæ occurrunt. In quibus agmen quasi ducit perpetuum, quod inter omnium locorum Doctores excolebatur, literarum commercium. Eo enim efficiebatur, ne quidquam facile quemquam lateret, quod sciri Ecclesiæ interesset. Illâ literarum communione universæ Ecclesiæ conditio præcipuis Ecclesiæ ministris & gubernatoribus quasi in oculorum prospectu ponebatur, ut, si metuendum ei fuerat damnum, id facilius averti, si melior aliquâ sui parte reddenda fuerat, id felicius procurari posset. Quod communicandi officium ad eò sanctum veteri Ecclesiæ habebatur, ut neminem unquam doctorum abstinuisse ab epistolis scribendis jam supra, propositis ejus rei documentis, monuerimus, & si qui aliquando ea in re segniores deprehenderentur, ab aliis, admotis calcaribus, seridè incitarentur. *Hieronymus ad Nitiam, Archidiaconum Aquilejensem, cum eundem de intermisso literarum commercio increpasset, Tom. I. p. 216. expergiscere, inquit, expergiscere, evigila de somno, præstia unam chartæ schedulam charitati. Si amas, scribe obsecranti, si irasceris, iratus licet scribe. Magnum & hoc desiderij solamen habeo, si amici literas, vel indignantis, accipiam.* Cumque Chrysogono Monacho eandem ignaviam objecisset: *nisi forte, inquit, negligentia semper excusatione socia asseras, te non habuisse, quod scriberes, cum hoc ipsum debueris scribere, te non habuisse, quod scriberes.* Damasus verò Romanorum Episcopum, moras in respondendo necentem hac memorabili clausula alloquitur, Tom. II. p. 134.

*Idcirco*

*Idcirco obtestor beatitudinem tuam, per crucem Domini, per necessarium fidei nostræ decus, per passionem Christi, ut qui Apostolos honore sequeris, sequeris & merito, ita in solio cum duodecim iudicaturus sedearis, ita te alius senem cum Petro cingat, ita municipatum cæli cum Paulo consequaris; ut mihi literis tuis, apud quem in Syria debeam communicare, significes. Noli despicere animam, pro quâ Christus mortuus est.*

Renata Evangelii luce non minus religiosè inter Theologos excultum est literarium istud commercium. Rectè enim existimabatur, nulla alia re magis vel fidei unitatem, vel conformitatem rituum, vel caritatis mutuæ vinculum, quam istis per epistolas alloquiis, vel promoveri posse, vel conservari, vel stabiliri. Ita longissimo terrarum intervallo ab invicem distiti sibi tanquam præsentibus sermocinabantur, ita quasi familiaribus confabulationibus animi sui desideria explicabant, ita conferebant consilia adversus communem hostem, ut eidem vel resisterent conjunctis viribus, vel tela ejus minus distracti feliciter propellerent. Callent hodie hanc artem in Romana Ecclesia, uti reliquorum ordinum præfecti, ita ii cum primis, qui à Servatore nostro nomen sibi indiderunt. Horum ex singulis collegiis, ex aulis, quibus se, ut domestici insinuant, frequentes epistolæ ad eum, qui toti provinciæ præest, commeant. Ab hoc literarum argumenta ad summum collegiorum omnium præsidem Romam deferuntur. Ille, quid cuique faciendum sit, vel consilio vel mandato Pontificis maximi rescribit. Quo pacto nihil Romanum præfulem, nihil ordinum prælatos, quicquid toto orbe geritur, fugit. Quod inventum potissimum dominationis Pontificiæ fulcrum haud immeritò appelles. Rectius agebatur cum Ecclesia nostra, quamdiu mutuarum epistolarum amicitia ejusdem rectores in sanctissimam communionem colligabat. Illa vero quamprimum remitti, & quisque suæ tantum Ecclesiæ curam agere, aliarum incuriosus, cœpit, emulationes, rixæ, dissidia, bella intestina pullulascere, miseræque Ecclesiæ, ambitionis pastorum poenam  
lucens,

luentes, scindi distrahique cœperunt. Ut enim epistolæ familia-  
 res affectum sua natura incendere & conservare, perinde ut mu-  
 tua colloquia, factæ sunt: ita earum intermissio minuere pau-  
 latim amorem, suspiciones parere, provocare tandem odia &  
 hostilitates. Ut scitè ad Nitiam officii scribendi oblitum Hie-  
 ronymus: *Ecce beatus Chromatius, cum sancto Eusebio, non plus  
 naturâ quam morum aequalitate germano, literario me provocavit  
 officio. Tu modo à nobis absens recentem amicitiam scindis potius  
 quam dissuis. Quod prudenter apud Ciceronem Lælius vetat.*  
 Quare Ludov. Rabus, Epist. XII. Part. III. conqueritur, ex flac-  
 cescente præcipuorum Ecclesiæ Doctorum literariâ communi-  
 one deplorandas Ecclesiarum Germaniæ scissuras metuendas esse.  
*Vereor, inquit, ne sicut in provinciâ româs quibus dicitur, sic eadem mul-  
 tas Ecclesias sit perditura. Nulla est communicatio amplius inter  
 Ecclesiâ præcipuos ministros, sed cuique liberum pro placito, & por-  
 tentosos quosque errores consingere, & aliis eos obtrudere. Hoc  
 malum, mihi crede, turbabit, dissipabit, immò vastabit Ecclesias  
 Germania.* Id verbum quâ ratione postea fuerit impletum, se-  
 ctariorum & novatorum, quibus ea tempora luxuriabant, co-  
 pia, cujus rei Ecclesiæ historia testis est, abundè comprobavit.  
 Neque patrum nostrorum memoriâ tantum denuò vulnus ex  
 doctorum nullis satis lacrymis deflendâ collisione Ecclesia  
 nostra accepisset, quod tam acerbis semper verbis hostes nobis  
 nostri objectant, nec ea hodie variarum opinionum monstra in  
 Ecclesia tam impune serperent, si laudatam alicubi gravissimo  
 Theologo, Joanni Georgio Dorscheo, collegiorum per literas *con-  
 tesserationem*, seriò amare & commendare doctores, Principes  
 verò & Reges, tanquam Ecclesiæ nutritii, publica autoritate  
 introducere in Ecclesiam curarent. Sed hæc dum optanda sunt,  
 spe tamen salutaris eventus destituuntur. Nam ii, qui imperant,  
 in ordinem solutam legibus, qua gaudent, potestatem opinan-  
 tur, si ipsorum Theologi aliorum audiant consilia, deque sacris  
 negotiis, quorum ipsi in sua provincia soli jus *universum* habeant,

cum



eum aliis communicent. Qui verò politicorum se nomine falso jactitant, cristas erigi Ecclesiastico ordini causantur, si tantum sentiant res sacras fieri, ut in eas sumptuum quid impendi & literariam illius causa alere societatem sit necesse. Denique, qui morbus est seculi nostri, inter Theologos quoque quivis sibi sapere, neminem audire, omnes contemnere, inter suos dominium agere, literarium commercium, quo alios in consilium adhibeas, & rem tanti momenti non ex nutu proprio, sed sociatâ ope tractes, servitutem interpretari occipiunt. Interea in finem gaudere hostes, dissensionibus nostris petulanter insultare, inter se eò majori curâ & familiaritate uniri, isto tam specioso prætextu ad veteris, ut vocant, Ecclesiæ consortium invitare, denique præcipitare in tenebras, è quibus eluctati fuimus, majore quam antea unquam successu instituunt. Sed hæc fati commendanda sunt,

Illo epistolarum ultrò citroque euntium beneficio controversias & quæstiones Theologicas, vel ab aliis motas, vel in sacrorum lectione ultrò emergentes, veteris Ecclesiæ doctores ad verbi Divini regulam sollicitè discutiebant. Ut enim ex silicis ad chalybem allisione ignis: ita ex alternis disputationibus veritas excutitur. *Athanasii* Epistolæ quid sunt aliud quam exercitationes Theologicæ, totum Arianismi negotium velut in tabella exhibentes, deque hæresi isthac cum coepiscopis doctè placideque differentes? Quid *Cyrilli Alexandrini*, nisi disceptationes cum *Juvenali*, cum *Cœlestino*, aliisque, de negotio Nestoriano, eâ aetate Ecclesiam turbante, institutæ? De reliquiis Pelagianæ hæreseos cum *Augustino* confert scripta epistola *Hilarius*. De nævis *Origenis* cum *Ruffino Hieronymus*. De variis è Scriptura argumentis cum *Hieronymo Augustinus*. Nec quicquam facile vel in doctrina fidei, vel in morum institutione reperitur, quin in illa epistolari ab antiquis fuerit sedulò pertractatum. Documento sunt vel soli epistolarum tituli, inque Hieronymianis

atque Augustinianis argumenta, ab Erasmo Epistolis insigni diligentia præmissa.

Eidem scopo & præsentibus Theologorum Epistolæ quoad maximam sui partem inserviunt. Id & ipsa lectio docebit, & nos infra, ubi de controversiis ejus ætatis dicturi sumus, uberiore conatu ostendere adnitemur.

In scribendo veteres summæ simplicitati studebant. Aberrat à piissimis animis omnis fucus. Quicquid mente DEO devota conceperant, religiosâ quadam libertate effundebant in calamum. Monebant, adhortabantur, increpabant, inflammabant pectora, tractu quodam ducebant ad DEUM, sine acrimonia castigabant, erigebant sine superstitione. Divinum quidpiam ex moribus illorum, ex gestibus, ex sermonibus elucebat. Quis non Apostolum aliquem audiat loquentem, cum Clementem Corinthiis & Polycarpum Philippensibus tam graviter legit concionantem? Ut à vitiis deterrent? Ut alunt fidei ipsis implantatæ flammam? Ut charitatem commendant? In iis verè deprehendas, quod Photius notavit, *αὐτοῦ τοῦ ἐπιμαρτυροῦντος τὴν πίστιν καὶ τὴν ἀρετὴν τοῦ ἀποστόλου καὶ τοῦ ἐπισκόπου. animadversionem & exhortationem ad vitam meliorem atque in principio prædicationem de Christo, vero DEO.* Primum gravi oratione Corinthios objurgat Clemens, quod paucorum hominum insolentia & audacia in tantam vesaniam exarserint, ut honorificum & illustre nomen eorum & ab omnibus amari dignum vehementer blasphemetur. Laudat deinde admirandam eorum à principio conversionis fidem & mores in utroque sexu probatissimos. Tum verò fontem aperit vitiorum, in quæ degeneraverint, æmulationem, invidiam, contentionem, seditionem, rixas, bella, utque eò acrius pungeret, vitam illam probam cum hac improba conferendo, utriusque præmia pœnasque exaggerat. Hinc per Servatorem Christum, per pretiosum ejus sanguinem, per sacra omnia obtestatur, ut mutatis animis ad pœnitentiam, ad pietatem, ad justitiam, ad obedientiam mandatorum DEI serio convertantur; charita-

charitatem inprimis, virtutum omnium nobilissimam maximamque, toto corde complectentes. καὶ μετὰ τοῖς αὐτοῖς ἐστὶν ἡ εὐφροσύνη ἐν τῷ κέντρῳ τῆς καρδίας: jungamur amoris glutino eis, qui cum pietate tranquille vivunt, non autem eis, qui fictâ simulatione pacem colunt. Id verò ut obtineat, charitatis immensa commoda severo sermone exequitur, tandemque voto concludit: *Videtis, fratres, quod magna & admiranda sit charitas & perfectiōnem ejus nulla narratio aquare possit. Quis est idoneus, ut in ipsa inveniat, præter eos, quos DEUS dignos esse judicaverit? Oremus igitur & precibus petamus, ut digni eâ habeamur & inculpati. Inspector omnium DEUS, qui elegit Dominum Jesum & nos per eum in populum peculiarem, det omni animæ, quæ sanctum & gloriosum nomen ejus invocaverit, fidem, timorem, pacem, patientiam, lenitatem, continentiam, sanctitatem & sapientiam, ut nomini ejus rectè placeat, per summum sacerdotem & præsidem nostrum, Dominum Jesum Christum, per quem illi sit gloria, majestas, potestas, honor & nunc & in secula seculorum, Amen.*

Hanc infucatam animi simplicitatem ubique etiam spirant Epistolæ nostræ, quoque vicinius ad Lutheri ætatem accedunt, hoc evidentiore &, ut ita loquamur, Diviniore illa sese indicio prodit. Hodie, quo longiore spatio ab illo Theologicæ innocentia seculo recessimus, hoc magis & ἀπλότῳ καὶ τῆν φρόνησιν καὶ τὴν ἐπιεικέειαν καὶ ἰσχύνητα τῆς ἐκκλησιαστικῆς χειρὸς καὶ τῆς ἀμειψίμου. Theologi, pro dolor, hodie sumus, politici, vel, si ita fari fas est, Alamodici. Ut vita & gestu & moribus & vestitu toti πολιτικισμῶν, (liceat enim in re absurda & verbis βαρβαρίσσειν) exprimimus: ita scribendo epistolas & in verbis obscuritatem & in rebus sublimitatem, ne quis vulgaribus nos Theologis adnumeret, studiosè sectamur. Seculum sapiunt, quæcunque dicimus scribimusve, & pseudo-politicus ubique sese insinuat dictis scriptisque nostris spiritus. At tu vide, quam veterem simplicitatem ex assè referat Buceriāna illa Partis Secundæ Epistola prima? Quanto artificio Clementinam illam imitetur? Stuporem induerit necesse est, quisquis

non totus Divinitate quadam imbuatur, cum illam legerit. Talem quoque ad totam Ecclesiam sanctissimi martyres, Bucerus & Fagius, dedere, veteris illius & stilo & argumento & rerum pondere imitatricem. *Scriptissimus*, ait Fagius, Ep. VII. Part. I. *communem epistolam ad totam Ecclesiam Argentinensem, in qua & inter cetera producit & perstringitur impia Beati temeritas & impietas, & diluuntur ejus impia argumenta, quibus institutum nostrae disciplinae convulsit. Quo scripto lecto, speramus ejus pestem minus nocituram.*

Ut in Ecclesiae ministerium nonnisi exploratae fidei & probatorum morum viri admitterentur, sedula veterum sollicitudo fuit. Qui itaque ea functione digni habebantur, instructi literis, ut vocabant, *evangelicis*, officia publica honestè ambiebant. Id genus commendationum apud veteres, praecipuè Gregorium Magnum, frequentissimè conspicitur. Quod & ad eos extendèrunt, qui sive in Ecclesiastico sive in civili vitae genere, Deo & reip. servituri, aliò migrarunt, quorum fidem, industriam, dexteritatem, publicè probatam laudabant. Sic Hieronymus ad Augustinum scribens Praesidium commendat: *per sanctum fratrem meum, Praesidium*, inquit, *obsecro primum, ut memineris mei. Deinde ut bajulum literarum habeas commendatum & mihi scias germanissimum; & in quibuscunque necessitas postulaverit, foveas atque sustentas, non quod aliquà re, Christo tribuente, indigeat, sed quod bonorum amicitias avidissimè expetat & se in his conjungendis maximum putet beneficium consecutum.* Apud Augustinum, Tom. II. Ep. XVII.

Vide verò, quam sanctè hanc veterum sollicitudinem nostri illi imitentur? Quam sedulò id ante explorent, quod aliis sibi commendaturi? Quam caveant, ne quid invita dicant scribantque veritate? De Johanne Marbachio Martinus Lutherus: Part. I. Ep. I. *Intelligimus eum in scholà nostrâ, in quâ toto triennio degit, ita vixisse, ut omnes Professores ejus modestiam & singularem diligentiam in omni officio pradicent.* De Gloccero

Paulus

Paulus Eberus, Part. II. Ep. VI. *Hic certè ita se gessit, ut carus multis fuerit, & docendo fideliter & feliciter egregium specimen præstantis ingenij & laudabilis profectus in studio artium, linguarum & doctrinæ cælestis præbuerit.* De Henrico Mumio, Gymnasii nostri Durlacensis ad annum usque MDCIIX. Rectore, Joannes Pappus, Part. VI. Ep. LIII. *Sinceritatis in confessione doctrinæ minimè vulgaris, morum & vitæ honestatis, singularis denique in tractandâ juventute dexteritatis verè illi testimonium dare possum.* De Ludovico Rabo, Ulmam discessuro, Ecclesiæ Argentoratensis ministri, Part. II. Ep. XLIII. *Cum undecim annis una nobiscum in publico ministerio Ecclesiæ Argentoratensis fuerit, singularem in ipso semper cum diligentiam tum etiam fidem & pietatem deprehendimus.* Idem de Petro Patiente, Landoam migraturo, Ep. LXV. Part. II. pronunciant. Cumque Theologiæ studiosos commendarent, prima semper ab <sup>opibus</sup> <sup>ecclesiæ</sup> commendandi ratio desumebatur, primaque cura erat, ne ejus paterentur deliquium. Ejus exemplum habes Part. IV. Ep. CCLIX. Nec minori religionis cura in aliarum disciplinarum cultoribus, iis imprimis, quos in patrii regiminis spem educari sentiebant, tangebantur. Cujus rei memorabile specimen exhibent in VVolfgangō Ulrico à Venningen, Ep. LXIV. Part. II. In Johanne Lœsero, Ep. CCXXX. Part. IV. In Baronibus ab Ek, Austriacis, Ep. cclxv. Part. IV. In Melchiore Rânzoivo, Ep. II. Part. V. aliæque. Cujus si hodie in iis, quos natalium præceteris nobilitas illustres reddit, major haberetur ratio, tot à verâ fide turpiter desciscientium exempla non audirentur. Sed isti nunc seculi nostri sunt mores: qui eminere è reliquis suos desiderant, à Theologis sive informatoribus sive inspectoribus eos longissimè arcent, ne cum in viros politicos evaluerint, aliquid iis mollitiei aut in religione atque conscientia teneritatis adhærescat. Heterodoxorum verò scholis nostros concredere, aut nondum satis firmatos in loca profanis superstitionibus plenissima ablegare, nulla nobis religio est, dummodo peregrinis

& moribus & linguis probè imbuantur, dummodo seculi genium sedulo comprehendant, dummodo simulandi & dissimulandi artes, id est, vivendi in aulis principum methodum & imperandi modum, spretâ omni religione, omni honestate, intimè addiscant.

Eos, qui vel religionis causa, vel ob officium rectè administratum, functionibus suis exuti, in exilium ibant, ut vivos martyres antiqui complectebantur &, quantum in se erat, colloquiis, epistolis, solatiis, commendationibus, juvabant. *Joannes Chrysostomus*, Cucufis Ciliciæ jussu reginæ exulans atque ad Cyriacum, Episcopum pariter exulem, scribens, variis primò argumentis dolorem ejus lenit, ut quod isthæc sit DEI, filios suos castigantis, consuetudo, quod DEUS patientia ad ferendam etiam miraculo opem moveatur, quod olim injusta patientium lætissima futura sit conditio, injurias verò inferentium pœna immanis. Deinde Servatoris nostri, tam dira perpeffi, itemque Apostolorum & suomet exemplo Cyriacum erigit: ego, inquit, cum à civitate fugarer, nihil curabam, domum meam confiscari, facultatesque diripi, sed dicebam intra memetipsum: si quidem vult regina me exulem, agat in exilium. Domini est terra & plenitudo ejus. Et si vult secare, secet. Idem passus est & *Esajas*, subscribebat illi. Si vult in pelagus mittere, *Jona* recordabor. Si vult in caminum injicere, idem passi sunt tres illi pueri. Si me feris vult obijcere, obijciat; *Danielis* in lacum leonibus objecti recordabor. Si me lapidare vult, lapidet me. *Stephanum* habeo, primum martyrem, socium. Si & caput tollere vult, tollat, habeo socium *Johannem Baptistam*. Si & substantiam auferre, auferat. Nudus exivi de utero matris meæ, nudus etiam abibo. Postremò enarrat, ut se in Cappadociæ provinciam, Taurociliciam, transeuntem, refocillaverint examina monachorum & virginum, ut juges viso Johanne lacrymarum fontes effuderint, ut clamorem in altum sustulerint: tolerabilius fuisse, si sol radios suos retraxisset obscuratus, quam quod tacuisset os Johannis; tu Episcopus ejus civitatis cum perquam humaniter exceperit,

tantana-

tantamque in eum prodegerit charitatem, ut, si licuisset, sede suâ ei cecidisset. Hæc considerare Cyriacum, his exuli cupit animum addi. Nec minori virtute corroborat sequenti epistola episcopos & presbyteros, ob pietatem carceribus inclusos. *Totum orbem, inquit, vobis conciliastis. Etiam longè absentes amicos vobis fecistis. Ubique terrarum & marium canuntur vestra præclara facinora, fortitudo, constans sententia, animusque minimè servilis.* Sed cætera disertioris verba in epistola, quam hic, malumus legi.

In epistolis nostris sedula quoque exulum cura ubique conspicitur. Nunc eosdem aliis Ecclesiis flagrantissimè commendant, nunc exquisitissimis solatiis recreant, nunc facultatum suarum elargitione magni affectus pondus in ipsos derivant. Atque ista Christianæ commiserationis officia eo magis illo tempore necessaria erant, quo ob varias Ecclesiæ persecutiones exilii multa frequentius viris optimis imponebatur. Habes in iisdem Joannem Flinnerum exulem à Martino Frechto laudatum. Ep. XI. Part. II. Tilemannum Hesshusium à Joanne Marbachio & Ludovico Grempio, epist. LXX. Part. III. itemque à Cyriaco Spangenbergio, ep. LXX. eumq; à VVolfango Köttericio promotum. ep. CXXXIII. Bononiensem Italum à Simone Sulcero. ep. CIV. Part. IV. Chilianum Freymüllerum à Joanne Brentio. ep. XII. Part. V. Ab aliis alios. Cum enim ex iis, qui epistolas nostras scripserunt, plurimi, nominatim Philippus Marbachius, Martinus Frechtus, Erasmus Sarcerius, Nicolaus Gallus, Joannes Brentius, Justus Menius, Tilemannus Hesshusius, Joannes VVigandus, Jacobus Andree, Joachimus Mörlinus, Jeremias Hombbergerus, Jacobus Heerbrandus, Petrus Patiens, Conradus Lautenbachius, Timotheus Kirchnerus, VVilhelmus Zimmermannus, & Jacobus Schopperus, exilii mala ipsi pertulerint, aliis, eidem calamitati obnoxii, & credere facilius & succerrere efficacius didicerunt.

Nec Ecclesiæ tantum ministris, sed integris quoque cœtibus;

auogt

atroci persecutione afflictis, aliorumque vel consilium vel opem desiderantibus, scriptis epistolis intercedendo, magno animi ardore subveniebant veteres. Quam piè Cyprianus ad presbyteros & diaconus suos, Ep. XXIV? *Infirmorum & omnium pauperum curam peto diligenter habeatis: sed & peregrinis, si qui indigentes fuerint, sumptus suggeratis de quantitate meâ propria, quam apud Rogatianum, compresbyterum nostrum, dimisi, quæ quantitas, ne forte jam universa erogata sit, nisi eidem per Naricum acoluthum aliam portionem, ut largius & promptius circa laborantes fiat operatio.* Cum Augustino nunciaretur, clerum populumque Hipponensem ideò segnius aliis Ecclesiis opem ferre, quod communi tum omnes afflictione premerentur, graviter eos hortatur, ut potius præsentium calamitatum consideratione & futuræ mercedis intuitu ad Christianam liberalitatem redderentur alacriores. *Sicut enim, inquit ep. cxxxix, ad loca munitiora festinantius migrant, qui ruinam domus vident contritis parietibus imminere: sic corda Christiana, quanto magis debent bona, quæ in terrâ recondere disponebant, in thesaurum cælestem impigrâ celeritate transferre; ut si aliquis humanus casus acciderit, gaudeat, qui de loco ruinoso emigravit; si autem nihil tale fuerit subsecutum, non contristetur, qui quandoq; moriturus, immortalî Domino, ad quem venturus est, bona propria commendavit.* Nec minori sollicitudine pro Fastio, qui ære alieno obrutus ad ecclesiam confugerat, Apostolicum præceptum, de benefaciendo omnibus, maximè fidei domesticis, urgens intercedit. ep. ccxv. Id enim his verborum momentis applicat: *Quoniam ergo domesticus fidei est, Christianus, fidelis, catholicus frater noster, pro cuius supplenda necessitate vos peto, ut faciatis, quod Dominus imperat, sine tristitiâ, sine murmuratione & cum lætitiâ & hilaritate facite. DEO enim creditis, non homini, quia ille promittit, vos nihil eorum, quæ misericorditer facitis, perdituros, sed in illo die cum usuris immortalibus recepturos.* Apud Gregorium M. frequens charitatis hujus & sollicitatio & commendatio. Libro IV. cap. CXXXIV.



CXXXIV. Theodoro Medico gratias agit, pro pecuniâ in redemptionem captivorum liberaliter transmissâ. Eodem officio libro VI. cap. CLXXXVII. erga Theotistum & Andream, qui triginta auri libras, pauperibus erogandas, trasmiserant, perfungitur. Iterumque cap. CLXXXIX. erga Theodorum. Libro verò X. cap. VII. Savinellam, gloriosam, ut vocat, filiam & ob exhibitam sæpius munificentiam laudat & amplioribus calcaribus incitat, ut illa agere pergat, per quæ, dum egentibus misericorditer subveniat, ipsa misericordiam consequatur, & alios temporaliter nutriendo bonis in æternum cælestibus satiatur.

Iisdem argumentis moti Theologi nostri, quam sedulo, quam sanctè aliorum auxilium in Ecclesiæ necessitatibus invocent, documento sunt Part. II. Ep. X. & XLVI. Part. III. Ep. XXV. Iterumque Part. II. Ep. XLIX.

Cæterum prima antiquis cura fuerat, quæ non solum Ecclesiæ sibi commissæ curatissimo studio invigilare, sed alios etiam aliarum Ecclesiarum doctores & episcopos ad vigilandum excitare, cohortari, compellere possent. Est enim ecclesia universim accepta una quædam quasi civitas & respublica, uno Divinæ veritatis spiritu animata, cujus si una alicubi pars collabascit, periculum est, ne ad totam ruina dimanet. Quare omnium interest, singulos officii sui admoneri, singulosque id diligenter curare, ex quo vel Ecclesia in secundo statu conservetur, vel eluctetur ex adverso, & ex utriusque eventu incrementa capiat non contemnenda. Id in omnibus prope epistolis agunt antiqui, in quibus episcopi ad episcopos scribunt, cum eisdem vel de lupis Ecclesiam invadentibus monent, vel ad extirpandas, quæ sive clam sive palam sese insinuaverant, hæreses incitant, vel ad recuperandam Ecclesiæ tranquillitatem omni vi nisuque cohortantur. Lege *Theophili*, Alexandrini Episcopi, ad epiphaniûm Salaminiûm, apud *Hieronymum*, Tom. II. p. 309. epistolam, quæ ad reliquias hæreseon Origenianarum è medio tollendas solitâ *μυρρίνην* virum inflammat. Nunc majestatem urget Scripturæ,

c c

eradicare

eradicare & suffodere & disperdere, ædificare ac plantare præcipientis. Nunc ad Divinæ dispositionis œconomiam revocat, quâ egredientes de cavernis suis Origenis colubri Evangelico ense truncati & monachorum in Nitriâ agmina contagione pestifera liberata sint. Nunc officii dignitatem & sollicitudinem in memoriam ei revocat, qua positos in prælio consolari & congregare totius insulæ episcopos & Synodicas literas circumquaque mittere debeat, ut consensu omnium hæretica pravitas condemnetur. Nunc consilio eundem instruit, quo pacto veræ fidei calumniatoribus, novo pro hæresi furore bacchantibus, obviam ire possit, ut scilicet cunctis per viciniam episcopis rei gestæ ordinem pandat, eorumque consensum, communicatam in rem suam epistola, eliciat. Denique ut celerius omnia peragantur, nuncios, è clericis, industrios viros, mitti, impensasque ad Dominum preces fundi jubet, ut eò felicior in isto certamine victoriam consequatur. Equidem Theophilus eorum numero non est, quem in exemplum aliis meritò laudemus, Theologus quippe simulator & dissimulator, & antiquis Ecclesiæ scriptoribus passim ob vitam Theologo indignam, avaritiam intolerabilem, sævitiam militarem, & quod viros pietate illustres, Joannem inprimis novæ Romæ Episcopum, virum prorsus Divinum, in exilium miserit, culpatus; quod tamen Origenianorum, Doctore suo multò pejorum, impietatem repressit, quod virus istud, ne latius serperet, eliminavit, quod aliis, ut idem alacriter facerent, auctor extitit, adeò vitio caret, ut singularem laudem mereatur. Possitque res ista & Cyrilli Alexandrini epistolis, Ecclesiæ tum temporis doctores ad vigilias contra Nestorianum errorem agendas, & Arhanasii, episcopos adversus Arianæ hæreseos dilatationem excitantis, exemplo amplius firmari, si prolixiori esse liceret.

Eundem morem secuti Theologi nostri magnâ officii se sui parte defunctos esse opinati sunt, si & vigiliis suismet sedulo insisterent & alios, ut aperirent oculos, cohortarentur. Nunc  
solliciti

solliciti sunt, ne impetuosus Flaciani spiritus procellis Ecclesie mare conturbetur. Ep. CLV. Part. III. Nunc ne Calviniana ærugo labem candido Ecclesie corpori adspargat. Ep. XIII. Part. III. Nunc ne Anabaptisticus furor aliquâ parte subdole Ecclesiam occupet. Ep. CCXLII. Part. IV. Nunc ne astu Pontificiis adsveto Divino successu eliminata superstitione reducatur. Ep. LIV. Part. VI. Et quis singulis par esset enumerandis?

Ubi libros in publicum edidere veteres, aliorum Ecclesie doctorum censuras & judicia, nequid ab analogiâ fidei devium ipsis excideret, aut quod consensionem Ecclesiarum quacunque ratione violaret, aut adversariis præberet occasionem cavillandi, scriptis epistolis efflagitarunt. In judicando verò id dederunt operam, ut de rebus ipsis verè, liberè, ingenuè atque cordatè, non affectui quidquam, non odio tribuentes, pronunciarent. Præclarè ad Sabinum *Ambrosius*, Epist. XL. cum receptis ex censura libellis submisisset alios, judicandi cum necessitatem tum candorem requirit: *remisisti, inquit, mihi libellos, quos tuo judicio probatioribus habebis. Ideò misi alios, non judicij favore delectatus, sed promissa à te & petita à me veritate illectus.* (Itaque & qui judicium petit, succensere non debet, si vitia scribentis liberè notentur, & qui de scripto judicat, non amoris sed veritatis dictatum sequi debet.) *Malo enim, tuo corrigatur judicio, si quid movet, priusquam foras prodeat, unde jam revocandi nulla facultas sit, quam laudari à te, quod ab alijs reprehendatur. Itaque, arbitrum te eorum, qua postulas, rogavi. Neque enim legi ante mea, qua nonnunquam tribuo in vulgus, sed in tua calculum venire sententia desideravi. Non erit longi subsellij ista judicatio & mora, ut dictum est antiquitus. Facile est tibi, de nostris judicare. Ego certè huc invitatu tuo prodeundum putavi. Tuum est, liquido decernere & scrutanter discutere, qua corrigas, ne tibi vitio vertant ea, qua nobis potuerunt obrepere. Nescio, quo enim modo præter imprudentia caliginem, qua me circumfundit, unumquemque fallunt sua scripta, & aurem prætereunt, atque ut filij etiam deformes oblectant,*

lectant, sic etiam scriptorem indecores sermones sui palpant. Incantius plerumque aliquid promitur, aliquid accipitur malevolentius, aliquid exit ambiguum; tum quia alieno examinanda iudicio non pro nostra debemus magis, quam pro aliena opinione trutinare & discutere omnes scrupulos malevolentia. Assume igitur benevolo animo aurem versutia & pertracta omnia, sermones velliga, si in ijs non forenses blanditia & suasoria verba, sed fidei sinceritas est & confessionis sobrietas. Notam appone ad verbum dubij ponderis & fallacis statera, ne quid pro se adversarius interpretetur. Esto, ut revincatur, si congregari cepit. Male se habet liber, qui sine assertore non defenditur. Ipse igitur pro se loquatur, qui procedit sine interprete. Noster hic tamen non egreditur a nobis, nisi a te acceperit auctoritatem. Itaque cum eum fide tua prodire iusseris, committetur.

Eundem morem secuti sunt superioris aevi Theologi. De Catechesi sua D. D. Chytraeus, Epist. X. Part. III. Eam a te perlustrari & liberrime censeri optarim. De D. Chemnitii Tractatu, fundamenta sanae doctrinae de vera & substantiali praesentia, exhibitione & sumptione corporis & sanguinis Domini in coena, complectente, D. Jo. Marbachius, epist. ejusdem partis xxiii. Legi libellum tuum summo studio & non sine mediocri voluptate, & placet mihi vehementer, cum propter ipsum authorem, quem scio esse virum doctum, excellentem, pium, tum etiam propter nativam cana Domini sententiam, quae in eo recte, perspicue & vere explicatur. Nec mihi solum placuit, verum etiam toti nostro conventui, cujus etiam, posteaquam bene ego & accurate cognovissem, subjeci iudicio atque censurae. De libello, controversiam unionis naturarum in Christo personalis & communicationis idiomatum enucleante, D. Mart. Chemnitius, postquam praefatus esset, qua occasione ad hoc scribendi genus fuisset delapsus, & quod optet, in Ecclesiis nostris de hoc negotio concordem sententiam consensusque esse, cujus rei gratia constituerit, scriptum istud ante editionem iudicio & censurae illorum, quorum fides de con-

trovet

troversia Sacramentaria in nostris Ecclesiis probata sit, subji-  
 ce, ne vel novæ vel majores inter nostros distractiones oriantur;  
*cum itaque*, inquit ad Marbachium, *epist. c. xiv. Part. III. erudi-*  
*tio, fides & pietas tua mihi perspecta sit, ad te inprimis scriptum*  
*illud meum censendum mitto, atque diligenter peto, ut illud non obi-*  
*ter tantum inspicere, sed accuratè & cum censurâ perlegere velis, ac*  
*tuum mihi judicium liberè & copiosè rescribas, si quid existimarve-*  
*ris addendum, demendum, corrigendum, aut magis propriè aliquid*  
*explicari posse. Ex tuo enim & aliorum eruditorum judicio de scri-*  
*pto illo statuam.* De scripto Mansveldensium Theologorum,  
 Flacianis opposito, Hieron. Mencilius, *epist. c. xlv. Part. IV.*  
*Quamquam nobis persuasissimum sit, nos nihil à veritate alienum*  
*affirmare, tamen decet nos aliorum judicia de actionibus & conati-*  
*bis nostris audire & admittere. Itaque reverenter & amanter à te*  
*& toto reverendo ministerio vestro peto, ut hoc publicè propositum*  
*scriptum nostrum perlegatis, ac de eo pro vestro candore ita judice-*  
*tis, ut, si quid minus commode scriptum & assertum fuerit, liberrimè*  
*admoneatis.* Nec officio suo defuerunt, quoties de oblati-  
 sibi scriptis feriò judicarunt, sive quod argumenti veritatem con-  
 cernit, cujus rei postea documenta referemus, sive quod in scri-  
 bendo virtutes. Quam sollicitè ad Marbachium Sulcerus, *epist.*  
*XCII. Part. III. Te vehementer hortor, ut, quum te ad defensionem*  
*justam comparas, ne facias cum hostibus tuis paria, quorum scili-*  
*cet scripta appellabat parum consideratè exarata, splendidam*  
*bilem egregiè redolentia; sed & gravitate & modestiâ Theologicâ*  
*causam agas Christi, non tuam.* Cum Nefekium quendam con-  
 tra D. Jac. Andrea in aciem produisè memorasset, conjiceret-  
 que, eidem Jacobum responsum esse, optat, *epist. CLXXXII.*  
*Part. IV. ut, si D. Jacobus hyperaspisten paret, moderationem & gra-*  
*vitatem servet Theologo dignam; neque cum illo deinceps paria fa-*  
*ciat, causeque bonitati adjungat temperamentum, ad adificationem*  
*piarum mentium complurium, quæ moribus offenduntur, facturum.*  
 Persuasum enim pluribus fuerat, Jacobi calamum, adversus ve-

ritatis inimicos militantem, æquo vehementiorem esse & acerbitate sua magis nonnunquam destruere, quam ædificare. Quamquam nec Jacobo deerat, quod defendendo, quo insimulabatur, rigori prætenderet. Quare epist. CLXXV. Part. IV. ait: *Scriptum contra Tigurinos vobis probari gaudeo, desiderant quidam modestiam. Ego verò mendacissimum spiritum clementius tractare non possum.*

Quicquid adversus veritatis persecutores, rectè, piè, solidè, graviter, & cum Ecclesiæ utilitate scriptum fuerat, id suffragio suo comprobabant veteres, id impensè laudabant, id ut in publicum ederetur, legereturque ab omnibus, modis omnibus hortabantur. Hieronymus ad Theophilum, Alexandria Episcopum, cujus opera Origenistarum secta, in Aegypto repullulascens, refutata & extirpata fuerat, libro II. epist. p. 310. *Breviter scribimus, ait, quod totus mundus exultet & in tuis victoriis gloriatur: erectumque Alexandria vexillum crucis & adversus haresin trophæa fulgentia, gaudens populorum turba prospectet. Macè virtute, macè zelo fidei, ostendisti, quod hucusque taciturnitas dispensatio fuit, non consensus.* Idem Hieronymus de libellis quibusdam Augustini, quos ipsius nomini dedicatos, eruditissimos & omni eloquentiæ splendore fulgentes vocaverat, apud August. Tom. II. epist. XXX. *Certè, inquit, quicquid dici potuit & sublimi ingenio de scripturarum sanctarum hauriri fontibus, à te positum atque disertum est.* Eadem laude Paullini librum, Pelagianis oppositum, Augustinus profecquitur, epist. CVI. Et exempla ubivis obvia sunt.

Id exemplum ubique imitantur nostri. De Marbachii libro, quo unionis personalis mysterium explicuit, *Dav. Chytraus, Ep. CXLV, Part. III. Gratias tibi publico nomine immortales deberi fateor, quod amplissima doctrina de unione personali duarum naturarum & majestate hominis Christi, multis difficillimarum questionum labyrinthis intricata explicationem adeò piam, perspicuam, copiosam & testimonijs Ecclesiæ, ex omni antiquitate repetitis, confirmatam*  
edidi-

edidisti. De quâ judicium præcipuorum in his Ecclesiis, quæ depositum doctrina à Luthero accepta fideliter custodiunt, docentium, ex adjunctis literis cognosces.

Quæ verò vel castiganda fuerant in scriptis, publicæ luci exponendis, vel, ne offendiculum præberent infirmis, profus omittenda, vel quacunque aliâ ratione in melius immutanda, ea admirabili profus libertate, solam Ecclesiæ utilitatem respicientes, notabant antiqui. Cum Pammachius Ruffini schedulas ad Hieronymum misisset, quæ Origenis *mei hexæm* interpretatione conversa volumina continerent, sed maximam partem interpolata, vel potius vitiata, postulassetque, ut græcam veritatem latina servaret translatio & in utramque partem, seu benè seu malè dixisset ille, qui scripsit, absque interpretis patrocinio Romanâ linguâ cognosceret, libros illos Hieronymus irâ à Ruffini assumentis purgatos ad Pammachium misit, ut ille intuitu errorum Origenis exhorresceret, scrinioque recluderet. Ii cum postea fraude cujusdam nihilominus ederentur, atque inde Arianae sectæ addicti impietatem suam passim firmarent, postulante Avito, quo possent citra religionis periculum legi, Hieronymus censoriam singulis virgulam adhibet, quæque vel malè vel benè dicta ab Origene sint, quæ incrustaverat Ruffinus, prolixo studio exponit. Quæ legere est Ep. ad Avit. Tom. II. p. 149. De Rheticio, Eduorum Præsule, qui sub Constantino celeberrimæ famæ habitus est in Galliis, idem *Hieronymus*, Tom. III. p. 77. Epistolâ ad Marcellam: *Nuper cum Rheticij, Augustunensis Episcopi, qui quondam à Constantinopolitano Imperatore, sub Sylvestro Episcopo, ob causam Montensium missus est Romam, commentarios in canticum canticorum perlegissem, vehementer miratus sum, virum eloquentem præter inptias sensuum reliquorum, Tharsis urbem putasse Tarsum, in quâ Paulus Apostolus natus sit; & aurum Ophaz Petrum significare, quia Cephas idem Petrus in Evangelio sit nominatus.* Quam utramque opinionem obelo configit. Quid si legisset Hieronymus portenta, quæ ex profundâ

fundâ linguarum ignorantia, ante renatas superiore seculo literas, plerisque; Scripturæ interpretum commentariis sese insinuaverunt, tam impudenter, ut ait Erasmus, insulsa, ut videantur suis scripsisse, non hominibus?

Eandem judicandi libertatem deprehendes apud nostros Epist. CIII. Part. III. itemque Epist. CXXXV. & alibi passim.

Ubi in vicinis Ecclesiis earundem doctoribus certamina cum heterodoxis intercesserunt, Episcopi, quasi ejusdem exercitus commilitones, accurrere, opem ferre, unâ debellare hæreses, corroborare certantes, incitare ad pugnas, gratulari successus; si verò obrectationibus & calumniis ab adversariis pressi vel videbantur velle succumbere, vel deserere stationem, vel animis frangi, erigere fratres, addere de lassatis vires, solatia efficacissima suggerere nunquam cessarunt. Ita *Hieronymus* Riparium ad capessenda contra Vigilantium arma magno molimine exuscitat, qui sanctorum martyrum reliquias & cineres negabat esse veneratione prosequendas, miraturque, sanctum Episcopum, in cujus parochiâ esse presbyter dicatur, acquiescere furori ejus, & non virgâ Apostolicâ virgaque ferreâ confringere vas inutile & tradere in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat. Ita *Gregorius M.* Constantium, Mediolanensem Episcopum, linguarum, ut ait, jaculis & malorum cordium insidiis impetum, vario argumentorum apparatu confirmat, præcipuè ad DEI imperscrutabilem voluntatem, ad propriæ conscientie innocentiam, ad muneris, quod sustinebat, sanctitatem revocat: *ad hoc*, inquit, lib. V. cap. CLXXIIX. *fortasse antiquus hostis tali curâ implicari vos voluit, ut, dum fraternitatis vestra animus erga ea, quæ sua sunt, indefinenter occupatur, aliena minus cogitet, & nullum verbi solatium subditis inserat atque perversa agentibus nullâ distinctione contradicat. Sic namque in corporali pralio fieri solet, ut is, qui in certamine vexillum portat, ipsum hostis vehementer impetat; quatenus si ipse, qui à cæteris attenditur, vulnus accipit, multitudo omnis citius dispersa capiatur.* Nec minori solatiorum pondere

Palla-



Palladium, montis Syna Presbyterum, erigit. lib. IIX. c. XLV.

Eodem officio defunguntur ex Epistolis nostris epist. LXXXIX. XCII. XCIV. XVI. Partis III. itemque CXIII. & XII. Part. IV. in qua postrema Theologus, qui cum solida eruditione & moderationem & pietatem insignem conjunxerat, *Simon Sulcerus*, ad Marbachium: *Non est novum, charissime frater, ut quæ sunt pia studia & fidelis in Ecclesiâ DEI opera, dente Theonino arrodantur. Sed major tu es, quam qui hos grunnitus moreris, ut idcirco fatiscas animo* Quam enim obtrectationes iniquæ virum bonum cordatumque commoveant, magnus Ecclesiæ Doctor, *Basilius*, suo exemplo ostendit, quum ad Bosporium, Ep. LXXXVI. scribit: *Quomodo putas animam meam afflixisse famam calumnia illius, quam diffuderunt contra nos quidam ex eorum numero, qui judicem non timent, qui perdet omnes loquentes mendacium. Quare parum absuit, ut totam noctem insomnem transegerim, propter verba dilectionis tuæ; adeo medium cor meum attigit meror.* Revera enim juxta Salomonem: *calumnia virum humiliat.* Quare Marbachii animum iis præfidiis munit Sulcerus, quibus ferè seipsum Basilus: *Sum & ego non dissimilia passus & dedit Dominus, ut tenue nostrum studium non fuerit prorsus in Ecclesiâ infrugiferum. Quo minus deficio, quamlibet ætate devexâ & ad finem properantibus annis.* Nec desunt scio, qui pientissimos labores tuos non solum candidè interpretentur, sed seridè etiam approbent. Quare ut amplissimum theatrum est optima conscientia: ita etiam refectio ex bonorum sanctorumque suffragatione.

Cum non criminationibus tantum hominum, religionis odio adversus ecclesiæ Doctores flagrantium, sed aliis etiam vel privatis vel publicis calamitatibus obnoxii sint ecclesiarum ministri, quibus vel sufflaminari ardor officii, vel debilitari corporis valetudo, vel frangi animus, quantumvis cæteroquin fortis & robustus, queat, iis quoque casibus adhibere veteres medicamentum & solatiorum aperire fontes studuerunt. Memorabile est, quo argumentorum vel pondere vel copia fidei confel-

fessores, religionis causa tetris carceribus inclusos, martyr postea & ipse, Cyprianus suffulciat, lib. I. Epist. IV. Nunc sanctam & indefessam memoriam, qua vincula ipsorum prosequatur, menti ipsorum imprimi: *Vobiscum illic in carcere*, ait, *quodammodo & nos sumus, divina dignationis hortamenta vobiscum sentire nos credimus, qui sic vestris cordibus inhaeremus.* Nunc caritatem commendat: *Honori nos vestro charitas individua connectit. Separari dilectionem spiritus non sinit. Vos illic confessio, me affectio concludit.* Nunc promittit precum pro ipsis ardorem: *Et nos quidem vestri diebus ac noctibus memores & quando in sacrificiis precem cum pluribus facimus & cum in secessu privatis precibus oramus, coronis ac laudibus vestris plenam Domini faventiam postulamus.* Nunc praemium patientiae, in diuturna custodia ostensa, exaggerat: *Ad fastigia celsiora morâ ipsâ passionis ascenditis. Longoque temporum ductu glorias vestras non subtrahitis, sed augentis.* *Beatum facit prima & una confessio. Vos toties confitemini, quoties rogati, ut de carcere recedatis, carcerem fide & virtute praeligitis.* Nunc laudem & encomium, quod apud omnes recte sentientes Christianos reportent, ob oculos ponit: *Tot vestrae laudes, quot dies, quot mensium curricula, tot incrementa meritorum. Semel vincit, qui statim patitur. At qui manens semper in pœnis congregatur cum dolore, nec vincitur, quotidie coronatur. Eant nunc magistratus & consules, sive proconsules, annuae dignitatis insignibus & duodecim fascibus gloriantur, ecce dignitas caelestis in vobis honoris annui claritate signata est.* Et jam revertentis anni volubilem circulum victricis gloriae diuturnitate transgressa est. Nunc aeternae retributionis mercedem, in caelo ipsis repositam, dilaudat: *Quo longior vestra pugna, hoc corona sublimior. Agon unus, sed multiplici praeliorum numerositate congestus. Famem vincitis & sitim spernitis & squalorem carceris ac receptaculi pœnalis horrorem roboris vigore calcatis. Pœna illic subijcitur, cruciatus obteritur, nec mors metuitur, sed optatur. Quae scilicet immortalitatis praemio vincitur, ut vita aeternitate, qui vi-*

erit, honoretur. Atque his omnibus, tanquam ad præmissa conclusionem subjicit: *Quis nunc in vobis animus, quam sublimem, quam capax pectus, ubi talia ac tanta volvuntur?* Iisdem momentorum nervis *Augustini* epistolæ scitent, quoties in hunc erigendi in calamitatibus campum egrediuntur. Nempe cum Italianam viduam, super obitu mariti lugentem, consolatur. epist. VI. Cum *Chryfino* succurrit, ita vi calamitatis, jactura scilicet bonorum, oppresso, ut & manus sibi vellet inferre. *Vir cordate*, inquit, *nunquid aut totum bonum tuum in his rebus erat, quæ nunc videris amittere; aut tam magnum bonum illa deputabas, ut eo subtracto sic tenebrescat mens nimia tristitia, quasi lumen ejus non Deus sed terra sit?* Epist. LXXXIII. Cum *Victorianum*, Presbyterum, forti animo esse jubet, patienterque accipere mala, quæ *Barbari*, in Hispaniam & Italiam incursionem facientes, inferebant sanctis viris & sacris virginibus. Epist. CXXII. Nec in *Hieronymo* id argumenti genus deest. Nam epistola ad *Castrium*, Tom. I. p. 204. virum consolatur de oculorum cæcitate, *Antonii* ad *Didymum* dicitur enarrans: *Miror, prudentem virum ejus rei dolere damno, quam formica & musca & culices habent, & non letari ejus possessione, quam sancti soli & Apostoli meruerunt.* Quo solatio & tristitiam præcedenti epistola absterferat *Abigao*, Presbytero Hispano, oculorum pariter cæcitate capto. Epistola verò ad *Julianum*, hominem divitem & potentem, animum ejus, vario mœroris genere dejectum, exquisitissimis solatorum delinimentis permulcet. Amiserat enim brevi tempore duas virgunculas filias, junctis penè elatas funcribus, & pudicissimam ac fidissimam conjugem, fidei calore germanam, in quâ solâ post amissos liberos acquiescebat. Consequiebanturque rei familiaris damna, vastatio totius à barbaro hoste provinciæ & in communi depopulatione privata possessionum ruinæ, abacti armentorum ac pecorum greges, vincti occisque servuli. Quem sancto *Hiobo* comparat & in communi fato iisdem recreationum imbribus rigat. Sed & *Ambrosius*,

*sius*, lib. II. epist. VIII. Faustinum, qui ex obitu germanæ tam acerbum conceperat dolorem, ut in montium secreta abiret & inter ferarum diversaretur spelæa, omni humanæ conversationis usu abdicatus; itemque sequente epistola Bellicium, gravi ægritudine jactatum, efficacissimis è Divino verbo medicamentis confortat. Denique & *Gregorius M.* Libertinum, Expræfectum, ad adversitates patienter tolerandas admonens, brevi sed eleganti piaque sententia utitur, lib. VIII. c. XXXI. *Quia in summâ tribulatione positus sola est consolatio misericordia creatoris, in eam spem vestram ponite, ad ipsum totâ vos mente convertite, qui & justè, quem vult, permittit affligi & confidentem in se misericorditer liberabit. Ipsi ergo gratias agite & patienter quaque illata sunt, sustinete.*

Has sanctissimorum patrum epistolas si cum nostris, quæ in hoc opere ubique comparent, contuleris, eundem prorsus in vario calamitatis vel publicæ vel domesticæ genere compatienti affectum, eundem solatia suggerendi ex animo prorsus candido atque sincero ardorem, eandem Christianorum viscerum charitatem, hoc evidentius, quo remotius ejus seculi simplicitas ab omni fuce & simulatione abfuit, deprehendes. Germanico certo & præcipuè Suevis nostris proprio candore *D. Jacob Andrea*, ad Marbachium, ob dissensiones ecclesiæ suæ animo turbatum, epist. LV. Part. IV. *Quid in causâ bonâ te crucias? Mitte vadere, sicut vadit, quia vult vadere, sicut vadit. Tu non es Atlas, qui tuis humeris Ecclesiam sustineas. Et pedes tui, (quos nempe podagrico dolore corruptissimos habebat Marbachius) nimis debiles, quam ut tantum onus ferre queas. Officium postquam feceris, curam & sollicitudinem tuam jacta supra Dominum & ipse faciet. Dominus Jesus te Ecclesiæ & familiæ tuæ diu incolumem conservet, nec est, quod sollicitus sis propter inquietudinem tuorum adversariorum. Tumultuosa res est impietas, quia nulla pax impiis; qui instar maris perpetui agitantur, quia spiritus malus non sinit eos quiescere.*

Eccle-

Ecclesiarum per doctorum dissensionem infelices scissuras toto pectore horrebant veteres, nec quicquam intermittebant operæ, ut conciliari litigantium animi & sepositis inimicitiis redire ad amabilem concordiam possent. Cum acre & ecclesiæ funestum certamen inter Hieronymum atque Rufinum exarsceret, dici nequit, quo studio, quave prudentia Augustinus sedare incendium & restituere ecclesiæ præcipuorum ejus doctorum amicitiam fuerit annisus. In epistola ad Hieronymum, quam operum Hieronymianorum Tomus Secundus complectitur, quæque inter Augustini quinta & decima est, Hieronymum, ex nescio quâ causa sibi quoque aliquantulum iratum, ætatis tamen prærogativa venerabilem, modo rogat verbis submissis, modo obtestatur severis, ut in gratiam cum Rufino redeat, ut, quod præcipuum Ecclesiæ bonum est, concordiam reducat. *Obsecro te, inquit, per mansuetudinem Christi, ut, si te læsi, dimittas mihi, nec me vicissim lædendo malum pro malo reddas.* Cumque sibi, ut sperabat, propitium reddidisset, dissidii quoque Rufiniani injecta mentione, fateor, ait, *multum dolui, inter tam charas familiaresque personas, cunctis penè Ecclesiis notissimo amicitia vinculo copulatas, tantum malum extitisse discordia. Quæ sibi jam fida pectora tutò refundantur? In cujus sensus tota se projiciat secunda dilectio? Quis denique amicus non formidetur, quasi futurus inimicus, si potuit inter Hieronymum & Rufinum, hoc, quod plangimus, exoriri? ô misera & miseranda conditio? ô infida voluntatibus amicorum scientia præsentium, ubi nulla est præscientia futurorum?* Et postquam ingenti admonitionum pondere Hieronymum ad mentem magis placidam atque amicam invitasset, epistolam concludit: *Hoc magnum & triste miraculum est, ex amicitiiis talibus ad has inimicitias pervenisse. Latum erit, & multò majus, ex inimicitiis talibus ad pristinam concordiam revertisse.*

Quo studio Nostri doctorum tum inter se digladiantium animos flectere ad consensionem allaboraverint, sequenti capi-

te uberius referemus. De Flaciana discordia *Sulcerus*, Part. IV. epist. XX. *DEUS bone, quos ludos & triumphos exhibebit hoc certamen adversarijs! Verum hac nec nova sunt, nec iniustata, adeoque & veritatis fulgentis argumenta. Nec dubito, quin hac sint bono cessura Ecclesia, que dum à Sathanà tot machinis impugnatur, clarior redditur & firmior.* Istæ Lutheranorum doctorum sub initium reformationis distractiones, religionis nostræ hostibus, imprimis Pontificiis, magnam nobis insultandi ansam dederunt, quorum nomine anno seculi Lutherani Jubilæo Jubilum Jubilorum *Adamus Conzenius*, Societatis JESU apud Rhenum Provincialis, edidit & quomodo singulis ab anno MDCXVII. annis Lutherani, novis intra sese rixis excitatis, Ecclesiam suam disciderint, comprobare conatus est. Ignarus nempe, quod seculis omnium primis, atque ad eò fidei innocentia purioribus, variarum hæreseon & schismatum gangræna omnium maximè Ecclesiam infestaverit, nec quicquam obtigerit nostræ sub reformationem Ecclesiæ, quod non & Apostolicæ & Romanæ ipsi subinde accidit. Cum *Celsus*, Philosophus Epicureus, iisdem prorsus armis tertii seculi Ecclesiam, quibus nostram *Conzenius*, (cujus vitulâ hodieque nonnulli minorum gentium è curia Romana Dii arant) adoriretur: *Hi*, inquit, *dicendis non dicendisque in se invicem velitantur convitijs, nunquam concordēs propter odia mutua: Origenes*, libro V. f. f. cordatè respondet: *Si hoc in Christianâ religione improbat, quod plures sectas habeat, quin eadem operâ damnat philosophiam? Quandoquidem in philosophorum sectis discrepatur de rebus non vulgaribus, sed de maximè cognitu necessarijs. Accusanda erit & medicina propter sectas suas. Atamen, qui meditati verba Domini JESU ejus doctrine consentanea didicimus & dicere & facere, conviciantibus contra benè precamur, persecutores toleramus, obtrechatores nostros admonemus, non sanda infandaque jacimus in dissidentes à nostris opinionibus, sed si quidem possumus, nihil non tentamus, quo illis correctis persuadeamus, ut soli attendant creatori omnium, omniaque tanquam ratio-*

nem

*nem summo judici reddituri faciant. Quod si nihil proficimus, servamus illud preceptum: Hæreticum hominem post unam alteramque admonitionem devota, sciens, quod depravatus sit talis, peccetque à seipso condemnatus.*

In arduis Ecclesiæ negotiis nihil suo arbitratu agebant veteres, propriis nimirum viribus confisi, sed aliorum consilia, eorum præcipue, qui prudentiam sacram longo sibi usu comparaverant, audiebant. Hieronymi atque Augustini Epistolæ responsis plenæ sunt ad interrogata virorum, faminarum, è viciniâ, è longinquo. Hieronymus Marcellæ: *Magnis nos provocas questionibus & torpens otio ingenium, dum interrogas, doces.* Idem Hedibæ: *Ignota vultu, fidei mihi ardore notissima, de extremis Gallia finibus Bethlehemitico rure latitantem ad respondendum provocas, de sanctarum quasiunculis scripturarum.* Paullino: *Voce me provocas ad scribendum, terres eloquentiâ & in Epistolari stilo prope Tullium representas.* Augustinus Bonifacio: *queris à me, utrum parentes baptizatis parvulis suis noceant, cum eos demoniorum sacrificijs sanare conantur?* Deogratias, Presbytero: *Questiones tibi propositas mihi delegare maluisti, non, ut opinor, pigritiâ, sed quod ea quoque ipsa, qua nosti, libentius per nos audis, dum nos nimis diligis.* Dioscoro: *Tu me innumerabili questionum turbâ repente circumvallandum, vel potius obruendum putasti.*

Ejusmodi consilia & in opere nostro vel petita ab aliis vel aliis data leges, Part. IV. Epist. XLVI. XLVII. CLIV. CLV. & alibi frequenter.

Si qui in Ecclesiâ errore quopiam tenerentur, quem non tam ex malitia, quam animi simplicitate aliunde haustum defenderent, eos cum Christiana mansuetudine tolerabant veteres, nec ex Ecclesiæ consortio illico eosdem ejicientes, nec communiione suâ judicantes indignos. Præfactos verò errorum defensores severè increpabant, desertores Ecclesiæ & transfugas gravissimis exhortationibus revocabant, redire renuentes justo Divini Numinis judicio committebant. Non potest exprimi  
verbis

verbis, quo verborum impetu, quâ vi eloquentiâ, quo argumen-  
 torum pondere quosdam monachos virginesque elapsas perfe-  
 quatur *Basiliius*? Ut peccati gravitatem exaggeret? Ut pœna-  
 rum Divinarum atrocitatem acuat? Ut luctum Christianis  
 omnibus communem amplificet? Ut jacturam, quam hinc  
 Ecclesia faciat, deploret? Tum vero quo affectu, quo spiritu  
 apostatam alloquitur? *Ne contemne lapsus in profundum redire.*  
*Tempus pœnitentiæ est, tempus longanimitatis, tempus sanationis,*  
*tempus correctionis. Lapsus es? Exurge. Peccasti? Desine. Ne*  
*stes in viâ peccatorum, sed resiliâs. Ne ob aliquas ratiocinationes*  
*humanas cuncteris venire ad me. Ego enim susceptum mortuum*  
*meum deplorabo. Ego curabo. Ego amare flebo ob contritionem*  
*filia generis mei. Omnes te excipient. Omnes tibi condolebunt.*  
*Ne diffidas. Sis memor dierum antiquorum. Est salus. Est*  
*correctio. Confide, ne desperes. Non est lex condemnans ad*  
*mortem citra misericordiam. Sed gratia differens pœnam, expectans*  
*emendationem. Nondum clausæ sunt fores. Audit sponsus. Non*  
*dominatur peccatum. Reluctare rursus. Ne cuncteris. Et tui*  
*ipsius & omnium nostrum miserere. Vigilantiâ, hominem*  
 imperitum, sed magnarum scientiarum typho inflatum, gulæ  
 præterea & avaritiæ deditum, qui captandæ ex scriptis publicis  
 gloriæ causâ factioni *Ruffini* adjunctus, *Hieronymianum* nomen  
 & amicos infamabat, *Hieronymus*, placidissimo stilo usus, adige-  
 bat ad errorum agnitionem. Relapsum in priorem insaniam  
 acerbiore & satis mordaci calamo castigabat, ruditatei rerum  
 sacrarum & vitiorum infamiam objectans, ut quem continere  
 in officio rationum severitate non poterat, pudore ad pœnitentiam  
 adduceret. *Ego, inquit, quasi Christianus cum Christiano*  
*loquens, obsecro te, frater, ne plus velis sapere, quam sapi, ne*  
*vel innocentiam vel simplicitatem tuam, vel certè ea, qua taceo,*  
*& te non intelligente cateri intelligunt, stilo proferas & ineptiarum*  
*tuarum cunctis cachinnum prabeas. Aliud à parvâ etate didicisti,*  
*alijs assuetus es disciplinis. Non est ejusdem hominis, aureos*  
NUMMOS



*nummos & scripturas probare: & degustare vina & prophetas vel Apostolos intelligere.*

In Epistolis nostris memorabile mansuetudinis Theologicae, adversus errantes exercita, exemplum praebent Theologi, cum Flacium Illyricum, graviter quidem in doctrinâ de peccato originis hallucinantem, sed de cetero immortalibus in Ecclesiam meritis conspicuum, eximiâ humanitate lenitateque tractant, nec nisi ubi animi pervaciam, spretis tot admonitionibus, manifestis indiciis prodebat, aspero ipsum calamo, quod equidem merebatur, insectabantur. Legantur Epist. cxxxix. Part. III. Epist. lxx. & lxxiix. Part. IV. atque alia passim.

Qui monitis melioribus aurem praebant atque ex erroribus sceleribusque convertebantur ad frugem, eos in Ecclesiae gremium, ineffabili gestientes lætitiâ, prisca recipiebant, utque reciperentur alibi, intercedebant missis eò locorum epistolis. *Gregorius Nazianzenus*, DioCæsaream, urbem, ad Episcopatum suum pertinentem, quæ principis sui, Olympii, mandata contempserat, quamque subvertere ille, iusto accensus furore, parabat, supplicentem Domino suo inducit atque dicentem: *porrige mihi manum, humi jacenti, succurre imbecilli, ne differas, neque disperdas Persarum reliquias.* Tum verò Olympio facti fœditatem, si civitatem, ædificatam à rege, à tempore formatam & servatam ab ordine, subruat, in mentem revocat, commendat miserorum civium lacrymas & suspiria, lugubrem senatus amictum, tonsasque comas repræsentat, gloriam ex misericordia in universum orbem dimanantem ante oculos ponit, peccatum in Præsidem commissum ex desperatione, ex amentia excusat, denique modis omnibus rogat, ut suas preces aliquid ponderis apud se habere patiatur. *Augustinus*, Epist. LIII. ad quaestionem à Macedonio, quem negociosissimum in Rep. virum & non suis, sed aliorum utilitatibus attentissimum vocat, motam: *cur officii sacerdotii nostri esse dicamus, intervenire pro reis, & nisi obtineamus, offendi, quasi, quod erat officii nostri, mini-*

mè reportemus? respondet: rectè utique pro peccatoribus intercedi, cum is, qui reus est, correctionem promittit. Neque hoc pacto culpas, quas corrigi volumus, approbari, nec, quod perperam committitur, idèd nos velle impunitum esse, quia placeat, sed hominem miserantes, facinus autem seu flagitium detestantes, quantò magis nobis displiceat vitium, tantò minus velle inemendatum interire vitiosum. Quam sententiam & argumentis corroborat, & vindicat ab objectionibus, quas ingerat Macedonius. Eundem Augustinum Nectarius rogat, ut pro Calamensibus intercedat. Epist. CCI. Quod facturum in se recipit Augustinus, quantumlibet idololatræ illi essent & excitato tumultu in Christianos, trucidatis multis, impetum fecissent. Epist. CCII. Id genus preces pro aliis leges & apud *Gregorium M.* lib. V. epist. CIX. CX.


In epistolis quoq; nostris hujus pietatis specimina cernuntur. Vide itaque *Sulcerum* pro Huldrico Theodorico sollicitè intercedentem, epist. LXXXVIII. Part. IV.

Cum ecclesia in histerris militans non possit non hostis sui insidiis subinde peti, id est, Satanæ fraudes, mundique furorem, aliaque mala experiri, partim animum addere veteres certantibus, partim precibus suis eosdem adjuvare sategerunt. *Basilii*, deploratissimo ecclesiæ Orientalis sui temporis statu commotus, Magnum Athanasium rogat, epist. XLVIII. ut cum nemo ipso rectius præsentia priscis comparare & quantum in peius defluxerint Ecclesiæ, ex tot retrò annorum memoriâ, judicare possit, prudentia sua & orationibus ipsis subveniat: *Relinque*, ait, *aliquod memoriale posteris dignum vitâ tuâ, præstantissime pater, innumera illa pro pietate examina uno hoc factò confirma. Suggerere modum convenientem. Fias Samuel Ecclesiis, bello infestati populi malis adfligere, proferto orationes pacificas, pete gratiam à Domino, ut pacis aliquod memoriale Ecclesiis immittat.* Gregorius M. ad Joannem Episcopum Constantinopolitanum, lib. I. Ep. IV. *Quia vetustam navem vehementer confractam indignus*

ego infirmusque suscepi; undique enim fluctus intrant & quotidiana validâ tempestate quassata putrida naufragium tabula sonant, per omnipotentem DEUM rogo, ut in hoc mihi periculo orationis vestra manum porrigatis, quia & tanto enixius potestis exorare, quanto & à confusione tribulationum, quas in hac terrâ patimur, longius statis. Quod & impensè facit Epist. XX. itemque Epist. CXIX. libro V.

Eidem scopo inserviunt Ep. CLXVI. Part. IV. Epist. LVII. Part. V. in opere nostro Epistolari, aliâque passim.

Poterat isthæ tractatio in innumeros alios actus diffundi, in quibus veterum epistolare studium cum recentiori literarum commercio comparari meretur, sed velea, quæ ex magnâ messe adducta à nobis sunt, spicilegia, testari poterunt, Ecclesiam nostram, quæ novitatis ubique ab adversariis iniquè insimulatur, cujusque cum vetere in doctrinæ consanguinitate nexum alii prolixâ operâ demonstrarunt, in istis quoque antiquæ prudentiæ speciminibus, quæ literariam societatem pro conservandâ augendaque Ecclesiâ colunt, cum vetere amicissimè conspire; vanumque & in hostes potius nostros retorquendum crimen esse, quod ab antiquâ Ecclesiâ desciverimus, nec quidquam amplius illius, nisi quod forte vitiosum in eâ fuerit, imitemur. Quo ipso verò quantum simul decus Epistolis nostris & gloria Ecclesiæ accrescat, quilibet rerum haud iniquus æstimator ultrò animadvertit.



## CAPUT VI.

De

USU HARUM EPISTOLARUM, IN  
RECENTIORIS ECCLESIAE HISTORIAM  
REDUNDANTE.

UT monuimus in operis titulo, praesentium Epistolarum farrago praecipue supplenda superioris seculi Ecclesiae historiae conducit. Plurima, quae publicis monumentis jamdiu edita sunt, per istas ita confirmari, ut minores nunc adversarii nostri de iis dubitandi causas habeant, ipsa quemlibet vel inspectio vel lectio docebit. Nec pauciora sunt, quae vel rerum in Ecclesia gestarum ordinem de novo pandunt, vel praesentioribus certe argumentis confirmant. Quod liberaliori operam planam faceremus, nisi tabulas chronologico-Historicas, sub finem huic operi adjunctas, res in Ecclesia atque rep. gestas, ex praecipuis ejus aetatis monumentis, complectentes, quae compendii historici vicem obire possunt, cum epistolis collatas, uberrime hoc praestare persuasi essemus.

Ut autem in conspectu sit Ecclesiae ejus aevi facies, eandem, qua fieri poterit brevitate, in potissimis ejus momentis ob oculos ponemus. Postquam veritatis Divinae fulgor, antecedentium seculorum barbarie, monachorum, totiusque cleri dominandi libidine, fraude, rapacitate, superbia, luxuria & ignorantia, mirifice obfuscatus, discussis erronearum opinionum nebulis, reductaque optimarum literarum & artium humanitate, beneficio MARTINI LUTHERI & PHILIPPI MELANTHONIS, pleno iterum lumine exsplendescere cepisset, purioris religionis institutum brevi in plerasque totius Europae provincias penetravit. *Quis enim ignorat, ait Bellarminus, Praefatione ad primum controversiarum Tomum, pestem Lutheranam, in Saxoniam paulo ante exortam, mox Germaniam penè totam occupasse: inde ad aquilonem & orientem profectam, Daniam, Norvegam, Sueciam, Gothiam.*

*thiam, Pannoniam, Hungariam absumpsisse: tum ad occidentem & meridiem pari celeritate delatam, & Galliam, Angliam, Scotiam, florentissima quondam regna, brevi tempore populatam, ad extremum Alpes transcendisse & in Italiam usque penetrasse.*

Istam surgentis Ecclesiæ felicitatem non poterat æquis oculis adspicere juratus humani generis hostis. Intra Ecclesiam Huldricus Zvinglius & Andreas Carlostadius omnium primis turbare purgatam secundum normam verbi Divini à Luthero doctrinam, aggressi sunt, è quorum disciplina postea multi subinde alii, quamquam iustitudo inter sese diversi, ceptam dissensionum fatalium telam magno conatu pertexerunt, nec monitis salubrioribus prius acquieverunt, quam una primitus Ecclesia in duas, confessionibus & communione differentes, discinderetur. Extra Ecclesiam Romanæ curiæ parasiti oblectari Lutheranae doctrinæ incremento & partim vi partim fraude reducere tenebras, tantâ omnium bonorum congratulatione dissipatas, magna animorum contentione adlaborarunt. Cujus moliminis is fuit eventus, ut sanguinem quidem frequenter, cum acerbis lacrymis commistum, funderet ecclesia, & tamen sanguine ipsa suo cresceret apprimè atque dilataretur. Cui ecclesiæ amplitudini promovendæ non parum contulit dispersa in universum orbem, quæ Anno R. O. M D XXX. Augustæ in Comitibus Carolo V. Imperatori à Protestantibus oblata fuerat, Evangelicæ Religionis Confessio.

Atque hic rerum in ecclesia, antequam summo in Theologia gradu condecoraretur Marbachius, & Epistolæ ad eum variorum doctorum committerent, status erat. Postea Imperatoris præprimis studio, qui conciliationi partium, invito atque ringente, immò per legatum protestante Pontifice Romano, ingenti nisu incumberebat, variis conventibus, colloquiis, disputationibus, utrum reduniri Lutherani Pontificiis possent, (nam quousque illi labori insudatum est, intestinum inter Lutheranos & Zvinglianos bellum aliquatenus interquievit) tentatum

fuit.

fuit. VVormatiæ & Ratisbonæ inter Melanthonem & Eccium, A. M D XLI. dissipante conventum Papâ & spem Concilii faciente, ne Romanæ Ecclesiæ abusus, jam antea omnibus noti, magis propalarentur, disputatum fuit. Sed exiguo, quod Romanam religionem attinet, successu. Nam eo ipso tempore & Saxones, Merseburgensis Diœcesis, & in Colonienfi Episcopatu loci complures, & Sueci, tum in libertatem à Gustavo asserti, & Brandenburgenses, & Palatini, & Angli, & Porussi, & Pomerani, alique reformatæ per Lutherum religioni accesserunt. Et alibi quoque tanta Evangelium amplectentium mensis fuit, ut idonei deessent operarii, quod conqueruntur epistola primæ partis quarta & quinta.

Interea ne latius serperet venenum Lutheranismi, congregari Tridentina Synodus, Jubilæum à Pontifice Romano pro felici ejus successu institui, nec anathematis tantum feriri, defuncto eo ipso tempore Luthero, Lutherani, sed bello etiam à Cæsare, (qui, ut propositum tegeter, Ratisbonæ novum inter Theologos colloquium instituerat, Anno M D XLVI.) peti, Saxo atque Hefsus in captivitatem abduci, domitisque Germanis religio, ut vocabant, Intermistica obtrudi; Lutherani edere causas, cur Concilium Trid. pro legitimo non agnoscant (quod tamen adire, si vocarentur, non prorsus recusabant, juxta epist. IV. & VI. Part. II.) eorum ministri, quidam repudiato Interim ire in exilium, alii, persuasi, in adiaphoris cedi salvâ religione posse, officiis suis fungi; unde controversia inter nostros Adia-phoristica enata est.

Anno M D XLIX. In Anglia reformare Evangelico more ecclesias, Paulus Fagius & Martinus Bucerus, vocati eò à Rege, cœperunt. Quod quâ animi constantia homines eò loci peregrini & qui ne linguam quidem eorum, inter quos versabantur, intelligebant, quo pietatis ardore onus ipsis impositum sustinuerint, epistolæ partis primæ V. & VII. itemque partis secundæ I. atque II. declarant.

Cum

Cum exercitum in conscientias per librum Interimisticum tyrannidem sustinere diutius Protestantes haud possent, pacto cum Galliae Rege federe, & duce Mauritio Electore, Anno M D LI. moliantur in Caesarem bellum, *istoque medio*, ut ait Ep. IIX. Part. II. *querunt pacem Ecclesiae & patriae*, & sequenti anno dissipato metu Tridentino conventu, bellum felici successu geritur, ministri antea ejecti revocantur, & pax religioni Passavii conceditur, posteaque Anno M D LV. Augustae confirmatur. Quae tamen halcyonia & Sociniana atque Servetiana sectae impietas & Osiandrica in Prussia dissidia, una cum Svvencfeldii infania & Stankari errore, itemque Ecclesiae in Gallia atque Anglia, restituente Maria Pontifici capitis Ecclesiae dignitatem, nec non in Bohemia persecutiones, haud parum conturbant.

Non poterat tamen fatum Ecclesiae nostrae magis triste atque funestum accidere, quam ex Philippi Melanthonis cum Matthia Flacio de rebus adiaphoris concertatione. Persuasus fuerat Philippus, cum monstrum Interimisticum à Caesare introduceretur, posse pacis causa & ne progressus religionis nostrae sufflaminarentur, aut res haec felicitate gestae in deterius ruerent, aliquid victoribus Pontificiis, praesertim in ritibus atque ceremoniis, concedi. Contra nitebatur, & rectius quidem, Flacius. Ut autem in defendendis opinionibus suis quivis natura pertinax est, quosque invenire potest, suffragatores sibi conciliat: ita Philippus & facere id pro eruditione sua facilius, & impetrare, propter auctoritatem, quam ex immortalibus in Ecclesiam & rem literariam meritis sibi jamdiu comparaverat, maturius poterat. Dum itaque infensus utrimque armis concurritur, quotidie reddi in asserenda Lutheri doctrinam & tepidior & timidior Philippus, cum Calvino, aliisque Zwinglianæ sectae addictis, familiariter per epistolas conversari, usque aditum ad docendam Theologiam in ipsa VVittebergeni Academia aperire; & interea Georgius quoque Major ignem addere camino & propositionem: bona opera sunt necessaria ad salutem,

tem, (unde sectariis ejus Synergistarum nomen hæsit;) tueri, denique Lutherani & Zvingliani infestioribus se semper animis prosequi cœperunt. Quod malum eousque excrevit, ut instituto VVormatiæ, Anno MDLVII. de religione colloquio, & causantibus Pontificiis, esse inter Augustanæ Confessionis socios, qui ob nota religionis dissidia & sectas sub pace comprehendi non possint, (quo nempe Calviniani & Zvinglii sententiam secutos designabant) in diversas scinderentur, magno cum piorum offendiculo, nostri partes, colloquiumque sine omni successu abrumperetur. Qua de re memorabilis est partis secundæ epistola quadragesima & octava. Hæc infausta fuerunt initia earum contentionum, quæ usque ad annum MDLXXX. nostros irreparabili cum Ecclesiæ damno exercuerunt, nec Lutheranos tantum à Calvinianis, sed & Evangelicos à semetipsis divulgassent, nisi quæsita ingenti labore CONCORDIA his jurgiis obicem finemque posuisset: cujus ideò rei historiam ex epistolis nostris diligentius persequemur.

Ut itaque hætenus frequentatis cum Pontificiis colloquiis, media pacis inter nos & illos restituendæ quæsita sunt: ita posthac omnia fervent disputationibus & colloquiis cum Calvinianis, aliisque, qui diversum à recepta hætenus doctrina sentiebant, institutis.

ANNO MDLIX. exustus post mortem est David Georgius, pro Messia sese venditans: cujus rei historiam *Sim. Sulcerus* recenset, epist. LXXII. Part. II. Atque eo ipso anno in Anglia, admota ad imperium Elisaberthæ, abolitis superstitionibus Papalibus, reformatæ religio reducitur.

ANNO MDLX. cum Fridericus, Elector Palatinus, Calvinianis opinionibus imbutus, instituta majorum suorum mutare aggredereetur, idque ægerrimo animo ferret gener, Jo. Fridericus, Saxo, placuit, ut Heidelbergæ, instituto inter utramque partem colloquio, quo pacto Elector ad veriorem sententiam traduci posset, tentaretur. Sed res infeliciter cessit & Palatinus ad



atus ad Zvvinglianifmum relapfus eft. Qua de re videantur  
epiftolæ partis tertiæ XI. XIII. XIV. XVII. XXI.

Anno MDLXI. colloquium Poffiacenum in Gallia inter  
Reformatos & Pontificios celebratum eft. Atque eo anno  
nova inter Lutheranos, Matthiam Flacium & Victorinum  
Strigelium, de liberi arbitrii viribus, lis eft exorta: Flacio in  
disputandi fervore in Manichæum errorem: peccatum originale  
in fe substantiam eſſe; prolapfo. Quæ res in multos deinceps  
annos protracta immenſis denuò turbis & contentionibus oc-  
caſionem dedit.

Anno MDLXII. edita eſt à Paulo Ebero, Theologo VVit-  
tebergenti, Declaratio controverſiæ de SS. Cœna Dominica, in  
qua cum, ut enarrando vitam ejus ſubindicavimus, peregrinas  
quasdam ſententias, jam antea de crypto-Calvinifmo, ſeu, ut  
alii loquebantur, Philippiſmo ſuſpectus, ſectaretur, nova id ma-  
teria extitit certaminum & controverſiarum, Eccleſiam ortho-  
doxam affligentium, dum nonnulli moderationem viri lauda-  
rent, alii culparent teporem. Videatur epift. Partis tertiæ xxxiv.  
xxxvi. LIII. LIV.

Anno MDLXIII. formula conſenſionis inter Hieronymum  
Zanchium & Theologos Argentoratenſes, procurante præcipuè  
Jacobò Andream, erecta atque à Zanchio non ſine fraudulentia,  
Theologo prorfus indigna, adſcripto nomine confirmata eſt.  
Quod referunt partis tertiæ epiftolæ xxxix. xli. xlii. xliii.  
xlvi. Ex quibus quilibet bonæ mentis homo judicare poteſt,  
quam frigida ſit hujus ſubſcriptionis excuſatio, apud *Hospinia-*  
*num*, Part. II. Hiſtor. Sacram. p. 543.

Anno MDLXIV. Maulbrunnæ inter Theologos Lutherana-  
rum & Calvinianarum partium VVürtembergicos & Palatinos,  
de capitibus religionis inter nos atque illos tum quidem con-  
troverſis, diſputabatur: ſed infelici eventu. Quod præſagiit  
epiſtola LIII. Part. III. Nam acerbioribus, quam antehac un-

ff

quam

quam scriptis inter utrosque per multos annos concertatum est: ut epistolæ sequentes ubique testantur.

Anno M D LXVI. Comitia Augustæ habita sunt, in quibus varia edita scripta, quæ vel eorundem condemnationem, aut è pace religiosa exclusionem sollicitabant. Quorum argumenta habes epist. c v. Part. III. Succedit Anno M D LXVII. collatio Heidelbergensis, cujus summa refertur epist. cxxviii. Part. III.

Anno M D LXVIII. celebratum est Colloquium Altenburgense inter Theologos Lutheranos & Crypto-Calvinianos. Cum enim Calvinismi subinde magis magisque suspecti fierent Theologi VVittebergici, ceterique Principes, ne Lutheri cathedra aliis quam veris Lutheri affectis pateret, sollicitarent, conventum fuit, ut de hac accusatione in Colloquio publico cognosceretur. Gesta res est magna animorum exacerbatione & infelici iterum successu. VVittebergensibus quippe in sententiis, hætenus à se defensis, pertinaciter persistentibus, ceteris verò ad majora acrioraque certamina animatis. Videantur epistolæ partis tertiæ cxxxv. cxxxvi. cxli. cxliv.

Atque hæ nostrorum, factæ per Crypto-Calvinianos, distractiones, cum colloquendo disputandoque è medio tolli non possent, sed quotidie augmenta sumerent, metuendumque esset, ne ad schisma Calvinianum & Adiaphoristicum & Majoristicum & Svvenfeldianum & Flacianum & Osiandricum & alia accederent, Ecclesiæque florentissima, ad Pontificiorum ludibrium, in innumeras partes, odiaque internecina, discerperetur, Principes nonnulli atque Theologi de mediis, quibus tanto malo obviam irent & concordiam restituerent, seriò deliberare cœperunt. Quâ in parte præcipuam operam navavit *D. Jacobus Andrea*, Calvinianis ideò, quod ista ratione via ipsis atque aditus, sub generali professione Confessionis Augustanæ, ut hætenus apud Principes rerum non satis gnaros fecerant, in aulas, in curias, in ministeria, in scholas Lutheranorum Principum sese inlinuandi, præcluderetur, adeò invisus, ut plauftra convitiiorum  
in ipsum

in ipsum passim jacerent; parumque abesset, quin medium discerperent. Edidit itaque *Rodolphus Hospinianus*, vir de cœtero perquam eruditus & historiarum Ecclesiæ satis gnarus, immensum opus, *Concordia*, ut vocat, *Discordis*, in quo cum præcipuèibilem omnem in Jacobum evomisset, omnem lapidem sursum deorsum movet, inque omnes se versat partes, ut concordia istud institutum, neque pia probaque origine gaudere, nec finem habere veræ Theologiæ convenientem, nec rectis probisque artibus procuratum fuisse, omnibus persvadeat. Quod cum à *Leonardo Huttero*, libro, cui *Concordiam Concordem* præscripsit, refutatum fuisset, *Johannes* tamen *Hoornbeekius*, vociferationibus Hospinianeis commotus, parum fidei Hutterum mereri, non veritus est scribere, & sex abhinc annis, distractis exemplaribus, opus Hospiniani Genevæ denuò impressum lucem vidit. Nobis propositum est, ex solis epistolis nostris, tanquam testibus, simpliciter & sine affectu pronunciantibus, instituti illius sanctitatem & Divinitatem, additis subinde annis, breviter quidem & per stricturas quasdam, sed ita tamen demonstrare, ut cui volupe est & otium, farraginem Hospinianeam conferre, is vanitatem & impietatem conatus illius, absque labore deprehendere possit.

Itaque I. operis *Concordia* *1720* *1721*, *Jac. Andrea*, neque ab eruditionis neque à pietatis præsiidiis destitutus fuit, ut rem tantam animosè aggrediretur & eandem feliciter perficeret. Famam hujus viri in Theologorum vitis asseruimus. Eandem vindicat simplex vitæ Andreanæ historia, à Nepote, *Joh. Val. Andrea*, Anno MDCXXX. in lucem producta, præcipuè eidem inserta *Oratio de Concordia negotio*, criminationes in eundem conjectas adeò candidè cordateque diluens, ut homuncionum scelestissimus fuerit, qui famæ ejus honestatem, nisi immotis munitis testimoniis, lacestiverit. Eundem in Epistolis nostris *D. Simon Sulcerus*, Theologus candoris & pietatis, ab omni adulatione alienissimæ, plenus, epist. CCXLIV. Part. IV. vocat *virum optimum & doctissimum*, qui cum aliis sanctis laboret sub onere, ut

tamen adfuturus sit luctanti Dominus, nec passurus, laborem ipsius esse infrugiferum. Epistolâ LXXXVI. Parte IV. Filiis Marbachianis Jacobi consuetudinem gratulatur, quippe cui summa cum Parente familiaritas in Domino intercedat & naturæ etiam bonitate pietateque humaniter accipiat, quotquot Christum Servatorem verè colunt & sinceriter profitentur. *Ac rectè facietis*, ait, *si vos clarissimo, doctissimoque viro pergatis approbare, limina ejus terere, quo consuetudine ejus SANCTA ERUDITAQUE & doctiores & meliores reddamini.* Epistolâ CXXII. Part. IV. optimum sanctissimumque Ecclesiæ DEI antistitem appellat, cujus conspectu, sermone & conversatione frui sibi datum esse ex toto animo lætatur, cum coram oculis suis viderit, falsâ esse, quæ malevoli in eum passim jactaverint. *Reperi*, inquit, *longè secus se habere omnia apud Electorem Saxonem & Jacobum Andrea, quam malignorum fama spargat, & res ipsa ostendet confusionem eorum, quibus bonis obrectare voluptas est. Consolatio itidem solida ex Christi verbo rectè petitur ijs, qui maledictionem sustinent à mentientibus.*

Nec II. de animo affectuque, quo negotium istud suscepit perfecitque, quin Christiano homini, inprimis Theologo, Lutheranis partibus addiçto, convenerit, dubitari fas est, nisi caritatis Christianæ lædere regulam & suspicionibus, quarum sat graves causas non habemus, indulgere velimus. Quicquid enim egit fecitque, id egit, impulsus veritatis tuendæ atque propagandæ amore, quod summam in Theologo laudem meretur. Ejus memorabile argumentum prodit ipse epistola CXXVI. Part. III. anno nempe MDLXVII. *Videtur*, ait, *totus mundus Zwinglianizans.* Nempe vel apertè Zwinglii errores propugnando, quod fecerant tum præcipuè Palatini & Helvetii, vel eos incrustando, molliendo, excusando, quod fecerant Melanthoniani, vel certè connivendo & tolerando, quod fecerant multorum locorum politici. Fuerant autem omnium deterrimi, mediû illi, quos pudebat, errores Zwinglianos profiteri, & qui tamen in pe-  
core.

et ore iisdem ad stipulabantur, quos simulandi & dissimulandi ar-  
 tibus utentes necesse fuerat, ne elancularii veritatis hostes ma-  
 gis apertis nocerent, è latebris suis extrahere, veramque, quam  
 fugo obtegebant, faciem Ecclesiæ oculis exponere. Quare Ja-  
 cobus: *Et subinde sese aperiunt corda hæcenus tecta. Conatus*  
*Calvinistarum in inferiori Germaniâ si successisset, non minus ma-*  
*lum nobis metuendum fuisset ab his, quam ab ipsis Papiſtis. Cru-*  
*delitate enim illis non videntur inferiores, quando vires acquisive-*  
*runt. Fecimus nos, (scribendo, impugnando, refutando) quod*  
*potuimus & pro virili nostrâ adhuc facimus. Sed sensimus ingra-*  
*tum numerum non paucorum. Syncretistarum nempe, qui mal-*  
*lent, disputationes cum Calvinianis ad Anticyras relegari. Tu*  
*verò ad hoc premium laboris tui honestissimi & fidelissimi jampride-*  
*dem cor tuum obfirmasti. Rust cælum, contremiscat terra, mane-*  
*bit tamen veritas inconcussa & dogma Cinglianorum falsum & im-*  
*pium. Et tanta illorum est improbitas, ut, quod credunt, fateri non*  
*audeant, usque adeò suâ causâ non fidunt, quando ad examen seve-*  
*rius controversiæ peruentum est. Tum verò hortatur Marba-*  
*chium, ne delicatolorum terriculamentis, vociferantium, istius-*  
*modi pertinacibus contra Zvinglianos scriptis animos fauciarum*  
*magis, quam sanari, à proposito se patiatur abduci. Perge, quâ*  
*cæpisti, eruditione, pietate & fide in asserendâ doctrinâ, cum pres-*  
*byterio tuo sanctissimo, cuius nos decet esse tenaces, utcunque in mûn-*  
*do erudiamus pertinaces. Sit hæc sive pertinacia sive tenacitas, fi-*  
*des certè est, quæ in dispensatione mysteriorum DEI requiritur.*  
 Erat equidem à juventute suâ Jacobus corruptelarum fidei, à Lu-  
 thero traditæ, ut in universum omnium, ita in primis Calvinia-  
 narum, extremus osor. Sed quomodo hoc odium Lutheranarum  
 sententiarum in suis ament atque collaudent Calviniani? Idem  
 veritatis conservandæ desiderium magnâ *impudè* exprimit episto-  
 la ejus partis cXLIV.

III. Finis hujus negotii honestissimus est.

Fingit Hospi-  
nianus,

ff 3,

nianus, scopum totius operis Concordiæ eò directum fuisse, ut ubiquitas corporis Christi, quam ut monstrum informe & ingens, cui lumen ademptum, ubique depingit, defenderetur & propagaretur. Pro cuius asserti veritate ut vanus & malitiosus criminator nullam potuit vel comminisci vel producere rationem; ita nec in epistolis nostris ullum ejus rei reperire est vestigium. Quæ ubique clamitant, Ecclesiæ intestina dissidia, quotidie majoribus incrementis eandem affligentia, occasionem Jacobo fuisse dispiciendi, quomodo vulnera ejus sanari, aboleri discordia, inque metuendam adversariis, ob jurgia nostra Ecclesiam toto orbe traducentibus, harmoniam compingi posset. Ipse Jacobus epistola XXXIX. Part. III. *Adeo me affligunt hæc nostrorum certamina, ut mei ipseus propemodum obliviscar, quem tamen scitis, non ab uno peti adversario. Ac metuo, ne anarchia, quæ in nostris Ecclesiis obtinuit, & studium contendendi nobis aliquando exitium adferat.* Sed hæc in omnibus ferè epistolis inculcantur.

IV. Nec sine præviâ vocatione id opus aggressus est Jacobus. Quid enim officio cujusvis Ecclesiæ doctoris, legitime vocati, convenientius est, quam Ecclesiæ dissidiis, quantum in se est, mederi? Quid sanctius, quam concordiam stabiliendæ conatus suos viresque omnes impendere? Num ideò Calvinus & Beza, quia omnium Ecclesiarum, quantum in se erat, curam egerunt, ἀποστολικὸν ἔργον fuerunt? Aut quâ in re denique Jacobus præter doctoris aut certè Christiani officium fecerit, exponant? Nec solâ se sustentavit caritatis vocatione Jacobus, peculiari ad hoc opus voluntate Electorum & Principum requisitus est. De Electoris Augusti vocatione ex epistola constat, supra cap. IV. p. 98. producta. *Wilhelmus Bidembachius*, epist. VIII. Part. IV. fatetur, *internuncium* fuisse Ducis Julii Brunsvicensis, cui eundem Dux VVürtembergensis concesserat. Internuncius autem est, qui est missus, adeoque vocatus. Et quamquam hac ipsâ in epistola non optimè de Jacobi actitatis sentiat Bidembachius,

ex eo

ex eo tamen rei ipsius veritati bonitatisque nihil decedit. Ab-  
erat tum procul Jacobus, & fama, ut fieri solet, sinisterius de  
iis, quæ in Saxonia egerat, referebat. Quam cum redux dilu-  
isset, ipsoque eventu feliciori, quam augurabatur Bidemba-  
chius, vani rumusculi fuissent dissipati, nemo VVürtembergico-  
rum erat, qui institutum Jacobi amplius reprehenderet. Ho-  
mines sumus. Sæpe de aliorum conatibus iniquius, quam par  
est, judicamus. Aliquando gloriam aliis invidemus. Nonnun-  
quam rerum actaram ignari, obtrectatorum calumniis pro tem-  
pore satisfacere aliter nescimus, nisi ut culpam in eos refunda-  
mus, qui, ut vel verè vel ex sinistro affectu persuasi sumus, ne-  
gotium non usquequaque rectè administrarunt.

V. Nec denique mediâ, ad finem istum directâ, reprehendi  
jure possunt. Pandemus hic ordinem & seriem rerum in Con-  
cordiæ negotio gestarum, judiciumque lectori, livore non ex-  
cœcato, permittemus, utrum vel à justitia vel ab æquitate  
deflexisse Jacobus jure dici queat? Habebantur eo tempore in-  
stituta de controversiis religionis colloquia pro medio omnium  
maximè idoneo, quo recuperari veritas & dissentientium animi  
flecti ad concordiam possent. Cum verò nunquam potuerint  
illi congressus tam severis legibus adstringi, quin ab ordine fuerit  
declinatum, negotiumque, magno sumptu & immani alterca-  
tione gestum, successu adeò destitueretur, ut infensoribus ple-  
rumque animis, quam advenerant, discederent, consultius judi-  
cābatur, si alia via concordia quæreretur. Videbaturque Jacobo  
non incepta ad hunc finem obtinendum via, si conscriptis quibus-  
dam canonibus, summam religionis à Luthero traditâ citra  
controverſiam complectentibus, tentarentur Theologorum hinc  
inde animi, citra tamen opinionum, canonibus repugnantium,  
aut auctorum earundem condemnationem. Sic enim autuma-  
bat fore, ut genuini Lutheri discipuli doctrinam canonibus  
comprehensam illicò approbarent, cæteri, qui vapidam gesta-  
bant sub pectore vulpem, metu exclusionis ex Ecclesiâ & ne-  
videa

videantur à communibus Lutheranorum placitis discessisse, subscriptionem idè non gravarentur, quia sententia communi contraria, quam ipsi intra mentem amplecterentur, nullo atro calculo notaretur. Quod Jacobi consilium aut vitio caret, aut certè malitiâ. Paratus enim erat, meliora sequi, quam primum edoceret. Factum id anno MDLXIIK. Quo ipso ad Ducem Julium primum fuerat profectus. Sed audiamus ea de re ipsum Jacobum simpliciter & candidè loquentem, epistola CLII. Part. III. *De consensu inter nos firmando per Synodum, non video hoc tempore & his moribus consultum. Nihil enim certius est, quam quod majora certamina sint secutura, si Synodus fiat. Unica meo judicio via est reliqua, ut de capitibus controversis, personali condemnatione omissâ, conscribantur canones aperti & minimè dubij, quibus singuli subscribant. Major concordia speranda, quam si renoventur, qua prestat esse sopita. Meministi, quid Wormatiæ acciderit ante annos undecim. Quid nunc quæso fieret? Ego in hac parte aliquid jam pridem tentavissem, nisi toties advocatus fuisset. Sed Domino dante faciam primo quoque tempore. DEUS suo sancto Spiritu me gubernet!*

VI. Isthæc procurandi concordiam methodus etiam moderatissimis Theologis displicebat. Experientia enim in Ecclesia constat, non potuisse facile unquam positivam; ut in scholis loquimur, doctrinæ formam conscribi, omissâ errorum rejectione, sub quâ errantes non impunè laterent. Id adèò verum est, ut ex Calvinianis Syncretistæ, non Augustanæ tantum confessioni, à cujus genuino sensu in plerisque vehementer dissident, sed recentissimis etiam formis subscribant, nempe vel expressâ limitatione vel intellecta: ut piam agnosco, ita approbo. Ejus rei eximium edidit specimen Auctor meditationis controversiæ de persona Christi, ante viginti annos editæ. Quare perpetuo Ecclesiæ usu evaluit, ut & doctrinæ cælestis veritas in Conciliis exquisitissimo verborum rigore proponeretur, & tamen simul anathemate notarentur errores. Fidem dictis facient verba  
incli



inlyti à pacis studio viri, Dav. Chytrai, qui epistolâ CLIV. Part. III. Nunc de D. Jacobi Andreae pacificationibus sollicitus sumus, à quo superiori anno in arce Lycaoniâ scriptum latinum, quo de conciliandis nostris Ecclesiis consilium suum explicat, accepi. In quo articulus de libero arbitrio & alij quidam satis perspicue & nervose explicati & errores cum verâ sententiâ pugnantes, additis canonibus, disertè rejecti erant. Nunc Germanicum scriptum multò rudiùs, omisâ non modo personarum & singularium controversiarum, verum etiam omni ferè errorum in singulis articulis judicatione & rejectione disertâ, circumferri ab eo intelligimus. Syrmienfis Synodi consilium in conjunctione Ecclesiarum, Symbolo ambiguo restituendâ, reprehenditur ab omnibus. Et tamen exemplum illud eos etiam, qui sapientissimi & moderatissimi inter nostros videri voluerunt, in Formulâ Francofordiensi & presenti conciliatione sequi videmus. DEUM oro, ut consilia veritatis & pacis conservandæ pia & salutaria Ecclesiæ suæ suppeditet & nos omnes doceat & gubernet.

VII. Id ipsium eventum quoque comprobatum fuit. Subscripserunt enim Anno MDLXIX. formæ isti Jacobi generaliori ii, qui Calvinismo intra sese addictissimi fuerunt, Theologi nempe VVittebergenses, quorum tamen errores ut in lucem protraherentur, eorumque heterodoxia orbi patefieret, & totius Ecclesiæ intererat, & in colloquio Aldenburgenfi laborabatur. De quibus ipse Jacobus, Epistolâ CLVII. Part. III. Postquam pia in Ducatu Brunsvicensi facta est instauratio, Wittebergam profectus sum, ut tentarem ibi animos, quomodo erga pacem concordiam sint affecti? Et collocutus sum cum D. D. Georgio Majore prolixius; quæ omnia jussit conscribere, ut eadem etiam suis collegis, qui nunc absunt, demonstrare possit. Conscripsi igitur presentes articulos, quibus manibus & pedibus subscribit. Idem fecerunt Magdeburgenses Theologi. Quæ uberius repetit, epist. CLIX. Nimirum eo adhuc tempore persuasus fuerat Jacobus: neminem sub ijs articulis latitare posse, qui diversum aut contrarium doceat;

ut loquitur Epist. CLIX. Malebatque, judicio D. Selnecceri adiutus, bene de eorum orthodoxia sperare, quam nimium emungendo sanguinem elicere et caritatis, quæ suspiciosa non est, simplicitatem violare; juxta epistolam XVI. Part. IV. Quamquam paulò post, anno nempe MDLXX. fraus clarius patuerit, dum nec ipsi amplius reticere animi sui sensa, à veritate doctrinæ aliena, voluerunt, & D. Jacobus tandem agnoscere necesse habuit, *in revocandis ijs in viam operam à se & oleum ludi*; ut loquitur Pappus epistolâ XXV. Part. IV.

IIX. Cum itaque de Jacobi animo non omnibus constaret, è contrario VVittebergensium Crypto-Calvinistarum decipiendi propositum neminem genuinorum Theologorum fugeret, fieri non potuit, quin de Jacobi Andreae actionibus a complurimis sinistrè judicaretur. Nonnullis criminantibus, Zvvinglianum factum esse, aliis dicentibus, lucem ab ipso cum tenebris & Christum cum Belial componi. Accusabant alii viri inconstantiam, quod formulas suas subinde mutaret & pro solidis ambiguas substitueret; ut *Chytraeus*, epist. CLIV. Part. III. Alii majorem clarioremque articulorum explicationem desiderabant, qua in eam converteretur formulam, quæ esset Scripturæ conformis & Ecclesiæ salutaris; ut *Sulcerus*, epist. CLXIII. Part. III. Nonnulli partibus ipsum studere, neque sincero studio subscriptionem formularum suarum emendicare causabantur, ut *Bidembachius*, epist. IIX. Part. IV. Quidam hypocriseos ipsum insimulabant, quod VVittebergensibus Theologis adularetur, quos doctrinam de majestate hominis Christi, in Lutheranorum confessionibus passim defensam, toto corde execrari & de multis aliis doctrinæ partibus à nobis dissentire non ignoraret; ut *Chytraeus*, epist. III. Part. IV. Qualia judicia & censuras, partim ex rerum actarum ignorantia promanantes, partim enatas ex infido rumore, aut confictis inimicorum criminationibus originem debentes, aliis quoque operibus sanctissimis pariter atque honestissimis affricari, quas tandem eventus diluit  
& nego-

& negotio gratiam atque auctoritatem conciliat, neque novum in Ecclesia esse, neque insolens, nemo ignorat.

IX. Itaque Jacobus objecta à se amovere, veram rerum abs se gestarum seriem & historiam exponere, articulorumque à se conscriptorum candorem, omnis fuci & fallaciæ nescium, tueri cepit. Id fecit, partim ostendendo, iniquas istas ipsi impatras criminationes primam originem ab hostibus, ipsi infensissimis, fumere, atque aded sibi fraudi esse non posse. Epistolâ CLIX. Part. III. *Ad clamores & vanitatem adversariorum callum duxi. Argumentum hoc est summi odij eorum contra me, quos ego & opto & precor converti ad Dominum DEUM viventem, quibus metuo infernum paratum esse.* Partim provocando ad suamet indolem, à juventute, quod omnes norint, à Zvinglianis corruptelis abhorrentem. Epist. XVI. Part. IV. *Ex literis Bidembachij intellexi, vos de me valde sollicitos esse, ne fiam Cinglianus. Placet benevolentia, sed displicet suspicio. Neque enim heri aut nudius tertius cæpi hunc spiritum probare, quem scio non ex DEO esse. Ideo securo & otioso vos animo esse jubeo.* Partim indicando, quam sanctum & inculpatum finem ob oculos habuerit, cum animum ad concordia negotium adjecerit. Epist. CLIX. Part. III. *Propter eos hoc opus est tentatum, qui hætenus intestinis dissidijs Ecclesias nostras piè constitutas exercuerunt, quibus contentionibus nisi occurramus, aut saltem modum statuamus, metuo, ne Ecclesia nostra, non adversariorum crudelitate, sed nostris certaminibus evertantur. Exemplo sunt orientales Ecclesia, quibus status nostrarum Ecclesiarum non est valde dissimilis. Hæc causa me movit, ut tandem aliquid ausus sim tentare.* Id quod in Germanicâ ad Theologos epistolâ, n. XXXIII. Part. IV. itemque in antecedente XXXII. frequentius inculcat. Partim conscientia suæ innocentiam allegando, quod nihil mente à pietate alienâ egerit, nec vereatur, actiones suas, edito earum diario vel curriculo, totius orbis oculis subjicere, speretque, à bonis quibusvis haud ægrè approbatum iri. Epist. XXXI. Part. IV. *Nullâ periculi & mole-*

*stia habitâ ratione in labore pergendum duxi. Nunquam in animum meum induxi, ut errores conciliarem, sed Ecclesia laborare volui, ne per illas lites & contentiones tandem veritas doctrinæ Ecclesiarum nostrarum amitteretur, quod equidem multi boni metuerunt. Nihil mihi accidit, quod non præviderim longè ante, & longè atrociora. Cætera in epistolâ satis memorabili legi malo, quippe quæ sola Hospiniani temerariam maledicentiam: lucri captandi & vanæ gloriæ causâ Jacobum peregrinationes suas Ubiquitisticas obiisse, valide retundere possunt. - Quo etiam epilogum referas epistolæ XXXV. Part. IV. Meum nomen non modo negligo, sed etiam conculcari patior, modo pia pax sine jacturâ veritatis Ecclesiæ redimatur, paratus & vitam impendere, si ita Domino videbitur. Partim demonstrando, nihil fraudulentum, aut quod veritati sive apertè sive clanculum adversetur, articulos suos complecti. Epistola CLIX. Part. III. Maledicta sit pax & concordia, quæ cum jacturâ veritatis est conjuncta. Nihil fucatum est in his articulis, nihil obscurum, nihil flexiloquum, aut ambiguum. Sed simplicissima Ecclesiarum nostrarum doctrina: quorum subscriptione, si nihil aliud efficitur, tamen hoc summum esset, quod os obstrueretur adversariis, qui contendunt, nos in fundamento pugnare. Ego autem sic sentio, qui hos articulos ex corde subscribunt, nobiscum in fundamento consentire. Fundamentum enim seu quinta essentia articulorum istorum expressa est brevi hoc scripto. Et tantum abest, ut negativa & antithesis sit omissa, ut maximâ ex parte magis sint negativi, quam affirmativi articuli.*

X. Isthæc judiciorum discrepantia in causâ quoque fuit, ut subscriptio formulæ non eadem ab omnibus, qui veritatem profitebantur, facilitate impetraretur. Qui veritatem pacemque ex toto pectore amabant, veritati non remuebant testimonium dare, pacemque Ecclesiæ, cui uni hæc opera dicata fuerat, promovere. *Sim. Sulcerus, Epist. CLXXXVIII. Part. IV. Non desinit etiamnum de concordia spem optimam fovere D. Jacobus, quam fratram fecerit, sicut boni omnes optant, Dominus, me*

vivo, gestiens latitiâ dicam: Nunc dimittis servum tuum, Domine. Ac ut inter tot cerebrosa ingenia vix obtineri sana, pacifica & concors professio posse videatur, novimus tamen, apud DEUM nihil esse impossibile: qui piorum omnium ardentibus assiduisque votis interpellandus est, ut det nobis unum esse inter nos, sicut est ipse unus cum patre. Alii ignari, vel quid ageretur, vel an rectè omnia agerentur, subscribere recusabant, causati nescio quas causas politicas. De qua re iterum *Sulcerus*, epist. XXXVI. Part. IV. Ex scripto D. *Andrea cognovi*, prorsus spem meam auguriumque non fuisse vana, etsi multorum cum metu sollicitudinem non ignorarem. Dedit ergo Dominus successum non vulgarem pientissimo electo ad hoc opus organo, quem video ut publica pacis concordiaque, ita cum primis pacis rationem habuisse. Nec dubium est, quin cordati omnes formulam *Serve* vestri constitutam sint approbaturi. Nos certè hic eam doctrina rationem observamus. De subscriptione tamen polliceri idcirco nihil possumus, quod cum citra consensum nostri magistratus à nobis fieri non queat, periculum est, ne velint concedere, ut cum nuper *Tygunis* postulantibus negata sit, ne etiam recusent aliis, ad evitandam federatorum offensionem. Interea verò nostrum consensum apertè, publicè privatimque declarare pergitur. Easdem ferè tergiverlandi causas ministri Ecclesiarum *Badâ-Durlacensium*, vel politici potius, ut ait *Sulcerus*, epist. XLII. Part. IV. initio pratexuerunt. Metuebant, ne graviorebus aliorum contentionibus involverentur, & quia conatus isti viderentur ad condemnationem exclusionemque Electoris Palatini à pace imperii spectare, ne bellum hostile subsequeretur. Nec dissimiles causæ fuerunt, cur *Argentoratensis* Senatus, (nam de ministerio dubium nullum fuerat) consensum suum suspenderet. Sed verò istæ difficultates operis ipsius bonitati nihil præjudicant, quemadmodum Conciliorum decretis atque canonibus ex eo nihil decedit, quod à complurimis principio vel contradictum est, vel quorundam consensus non sine difficultate impetratus. Rectè *Sulcerus*, l. c. *Negotium pium & Ec-*

*clesiis necessarium suscepit eximius Christi servus, Jacobus Andree, sed plenum difficultate, sicut solent esse omnia, qua serviunt vera adificationi, pia molimina. Nec minus ex vero Martinus Kemnitius, epist. CCVII. Part. IV. Quod Sacramentarij omnia infidiosarum inquisitionum arma ad impediendum aut certe turbandum salutare hoc negotium expediunt, mirum mihi non est. Sape enim soleo dicere: si Satan jam, cum jugulum ipsius petitur, non omnes suas machinationes contra negotium hoc educeret, so wäre er kein redlicher Teuffel.*

XI. Hæc gerebantur Anno M D LXX. cum aliquot insequentibus annis. Anno M D LXXIII. cum Theologi VVittebergenses editis ambiguis confessionibus simplicioribus imponere nondum cessarent, necessitatem tandem sibi impositam vidit Jacobus, articulorum suorum formæ expressam antithesin adjungendi. Id ante in illa desiderari *Kemnitius* suo atq; Theologorum Saxoniorum nomine monuerat, epist. CXXVI. Part. IV. Atque ipse Jacobus de proposito suo Marbachii consilium exquirat, epist. CXLII. *Res est necessaria, ut post thesin antithesin etiam addamus, in tantâ plurimorum perfidiâ. De quâ re quid tibi videatur, cognoscere cupio.* Qui cum institutum istud probaret, epist. CXLV. hæc nova formulæ Concordiæ accessio facta est, ut falsarum sententiarum expressam rejectionem seu condemnationem, quam Calviniani omnium molestissimè tulerant, complecteretur.

XII. Atque hæc Formula nemini præter voluntatem suam obruta, sed Theologorum liberrimis judiciis, quid in eâ vel probarent, vel rejicerent, ubique locorum subjecta est. Ejusmodi judicium continet epist. CLXXIII. Part. IV. Ea ipsa verò judicium in institutis Theologorum conventibus, quibus plerisque interfuit Jacobus, sub examen vocata sunt cum in finem, ut obscuriora extricarentur, neque quicquam in eâ relinqueretur, quod quemquam posset jure offendere. De quo dilucidè *Kemnitius*, epist. CCVII. Part. IV. Verba hæc sunt: *Quia Palati-*

nus Elector Landgravium sequitur & subscriptionis differt iudicium, si quadam desiderant in formulâ concordia, quæ cupiunt mutari, sicut & pauci quidam alij Principes & ordines, nuper decretum est, ut simul in unum locum ad conventum seu colloquium convocentur Theologi quidam, ablegandi tum ab illis statibus, qui formulam suâ subscriptione jam comprobarunt, tum ab illis etiam, qui adhuc tergiversantur ac pratendunt, nescio quæ, ut utrinque fraternè de toto negotio colloquantur, audiant eos, qui adhuc desiderare aliquid videntur; darauff freundliche gründliche Bericht thun: ut hoc modo per gratiam DEI, si fieri posset, omnes ordines se adjungant; sin minus, ut ordinibus probantibus formulam indicetur, quid porrò faciendum sit. In eundem sensum Balt. Bidembachius, Epist. CCXXVI. D. Jacobus, cum aliis quibusdam delectis Theologis Saxonis & Electoris Brandenburgici, in hoc laborant, ut censura Ecclesiarum requisita examinentur, & quæ digna videbuntur, formulæ concordia inserantur, quadam detrabantur, quadam melius explicentur, quadam magis muniantur. Horum quoque conventuum fit mentio, Epist. CCXLVII. Part. IV.

XIII. Id ubi factum est, Formula passim subscribebatur. Ejusexempla habes epist. ccxxx. Part. IV. Plura epist. ccxxxiii. Et quamquam alicubi Senatus, licet orthodoxus, subscribere ob causas civiles renuerit, Theologi tamen ejus loci consensum suum apertè testabantur. Epist. ccxxxvii. De Palatinorum subscriptione Petrus Patiens, epist. ccxlix. itemque Ep. xxiv. Part. V. De Carinthiorum, epist. lvi. Part. V. De iis, qui utpote vel Zvingliani vel Semi-Zvingliani subscribere detestabantur, Lucas Ostander, epist. CCLIV. Part. IV. Electorem Saxoniam spero, commune negotium Concordia nihilo minus studiosissimè promoturum, etiamsi alij cunctentur, alij tergiversentur, quidam etiam valde repugnent. Optima enim nunquam omnibus placere; quare etiam non omnium judiciorum consensus expectari poterit.

Cum itaque in hac agendi methodo, qua Concordiæ Formula

Formula

mula tandem anno MDLXXX. omnium consensu firmata in lucem prodiit, nemo bonus quicquam jure desiderare queat, non tam vanitatem quam temerariam maledicendi pruriginem arguit, quando illa ab heterodoxis & invidis, priusquam ederetur, pudendis deformata calumniis, cumque edita jam esset, plusquam Theonino dente impetita est atque arrosa. De Casselensium atque Noribergensium adversus hoc institutum odio, videnda est epistola CCXXXIX. Part. IV. De disterio, in Patres Bergenses vulgo effuso, quos octo latronum sodalitio Aristotelico compararunt, in quo primum dissidentes quatuor à quatuor, deinde duo à duobus, tandem unus ab altero sublatus est; Ep. XXIII. Part. V. De conatu multorum, adversus Concordiæ Formulam insurgentium, *Sim. Sulcerus*, epist. xxvi. Part. V. *Eam quidam odiosè calumniantur, & quantum in se est, vellent decreto à magistratu prohiberi, ne venderetur. Sed spero, eos in vanum abituros conatus, nec cariturum fructu hoc opus, quo tam enucleatè multa religionis capita explicantur & refutantur errores. Insurgent indubiè complures, allatraturi & arrosuri librum, sed in propriam confusionem. Stabit enim immota Christi veritas.* Inprimis vero bilem omnem in Jacobum Andream, præcipuum hujus libri architectum, & olim effuderunt & etiamnum hodie effundunt, nihil non scelerum & vitiorum ei objectantes, nihil non molestiarum & ærumnarum ipsi facessentes. Cujus rei etiam meminit epist. CCXLIV. Part. IV. Is si alicubi cespitavit, homo fuit. Nec Lutherus in optimo quantumlibet reformationis opere ubique rectè egit. Fecit, quantum potuit, & pacem Ecclesiæ cum veritatis professione ante oculos habuit. Sine eo si fuisset, in innumeras Ecclesia nostra hodie discerpta esset sectas. Quare & nuper quidam hæreticorum & Syncretistarum obicem, Formulam Concordiæ, non immeritò scripsit. Quid de Jacobo Andrea rectius dicas, quam quod de Augustino scripsit Hieronymus? epist. xxv. *Contra flantes ventos ardore fidei perstitisti, maluisti que, quantum in te fuit, solus liberari de Sodomis, quam cum pereuntibus*



*pereuntibus commorari. Maſte virtute in orbe celebraris, catholici te conditorem antiquæ rursus fidei venerantur atque ſuſpiciunt & quod ſignum majoris gloriæ eſt, omnes hæretici deteſtantur & me pari perſequuntur odio, ut quos gladijs nequeunt, voto interficiant.*

Anno MDLXXXIII. Apologia Formulæ Concordiæ Erfurti concinnata publicata eſt. De quâ re lege epiſtolas xxxiii. & xliix. Part. V. Quo ipſo anno ob novas ab Helmſtadiensibus, imprimis *Tilem. Heſhuſo*, motas libro Concordiæ turbas, Quedlinburgenſe colloquium inſtitutum fuit. Vid. Part. V. Ep. lx.

Anno MDLXXXIV. ad Calvinianas partes denuò tranſiere Eccleſiæ Electorales Palatinæ. De quo epiſt. lxix. & ſeqq. Part. V. Ex quo tempore diſputationes & contra Calvinianos & contra Formulæ Concordiæ invaſores ubiq; fervent. Ep. lxxx.

Anno MDLXXXVI. habitum eſt colloquium Montisbelgardeſe, de quo nonnulla habes, Epiſt. lxxxiii. Part. V.

Anno MDLXXXIX. Calviniani in Saxonîâ, Electore Chriſtiano, erigere criſtas cœperunt. Fuerat primum de Electore ſpes optima, de quâ vide *Kirchneri* epiſtolam, Part. V. Epiſtola lxxxiii. quam viſus eſt, factis quibusdam laudatiſſimis firmare, juxta Epiſt. lxxxvii. Sed ſi longior ei vita fuiſſet, ab inſtituto Auguſti brevi tota deſciviſſet Saxoniam, Epiſt. lix. Part. vi. Quod Fridericus V Vilhelmus, deſuncto A. M D XCI. Chriſtiano, priſtino robori reddidit & ad poſteros propagavit. Epiſt. xv. & xviii.

Anno M D XCIII. novum certamen Huberianum enatum eſt atque per ſequentes benè multos annos Eccleſiæ doctores exercuit. De quo loquitur Epiſt. xlviii. Part. vi. itemque Epiſt. xlix. Et paulò poſt litigia Hoffmanniana, Anno M D XCV. De quibus Epiſt. lviii. & lxiv.

Anno MDCI. Colloquium Ratiſbonenſe habitum eſt. De quo Epiſt. vii. Part. vii.

Atque iſta ſunt quaſi extrema lineamenta ejus hiſtoriæ, quam epiſtolæ noſtræ complectuntur. Poterantque in copia

sam tractationem diffundi, si commentarium ad Epistolas scribere potius, quam ad usum in ecclesiæ historiâ ex epistolis capiendum intendere digitum vellemus. Nec enim difficile mihi foret, universam illam compagem inutilissimarum relationum, quibus opera Hospiniana, Historiæ Sacramentariæ & Concordiæ discordis, scatent, vel ex solis his epistolis ita dissipare & dare in ruborem, ut etiam occupatissimi affectibus censores, fraudes, fallacias, imposturas, criminationes & calumnias Hospiniani essent deprehensuri. Sed nobis neque libet in campum istum descendere, neque otium est. Potuissent id longè feliciter præstare sub initium hujus seculi Filii Marbachiani, quippe & uberiore epistolarum apparatu instructi, (quarum innumera postea vel in publicam Academiæ Argentoratensis Bibliothecam, vel in privatorum musæa, non exiguo cum operis nostri damno, pervenerunt) & illi ætati viciniore, cujus historiam visu audituque locupletiore imbiberant, si consilium secuti fuissent magni Historici & Theologi, *Dav. Chytrai*, cujus scripta hac fini ad eos epistola inter epistolas Chytræanas p. 374. extat. Quam nos, quia pariter sinistro casu à nostris avulsa fuit, integram hic apponemus, cum & hoc ipsum desiderium & præterea encomium, recens tum è vivis sublato Jo. Marbachio scriptum, contineat.

PHILIPPO MARBACHIO D. CHYTRÆUS.

*Divinitus insita sunt pectoribus parentum & liberorum <sup>σερῶν</sup>, seu flamma amoris mutui, quas Nazianzenum his dulcissimis verbis describere meministi:*

Φιλῶν γὰρ οὐκ ἔστι θεὸς τοῖς υἱοῖς ἢ τοῖς πατέρας, ἀλλὰ τὸ θεῖον κληρονομοῦντες ἀλλήλων ἀγαπῶντες.

*Ut autem quaque natura optima & generosissima est: ita <sup>σερῶν</sup> maximè expressis & excitatis flagrat. Vero igitur & ardenti dolore & desiderio te in clarissimi & reverendi patris tui obitu affici & profundis gemitibus hunc doctorem & aurigam Israël, Ecclesia pu-*  
blua

blica & nobis ereptum deplorare, ex meo etiam mœrore & luctu conjicio. Quem non solum veteris & paterni amici ac patroni fidelissimi interitus, verum multò magis publica Ecclesia DEI, fidelissimo ac singulari doctore & gubernatore peritissimo orbata, calamitas auget. Tuâ etiam causa doleo, te studiorum & laborum omnium spectatorem & approbatorem, parentem, cujus senectus in tuâ virtute ac suavitate inprimis acquiescebat, hoc potissimum tempore amississe. Verum ne lugeamus, ut gentes ignara proposita immortalitatis & beatitudinis aeternæ, justum est; nos non humanitatem solam & *scilicet* in nostrorum interitu, sed pietatem etiam, moderantem mœstitiam, ostendere & advocare animum à luctu ad cogitationem de DEI voluntate, de communibus Ecclesie & generis humani confusionibus & arumnis, quas qui propius considerat, non difficulter obtemperat DEO, ex hac opinionum & furorum confusione ad tranquillam & claram cœlestis Ecclesie lucem evocanti, in quâ pater tuus jam præsentibus & secuturis Ecclesie calamitatibus, quas sentire & spectare ipsi tristius morte futurum fuisset, præreptus & in cubile suum ingressus, placidè quiescit & cum DEO vivens letus in illâ meliore vitâ nos expectat: in quâ DEO ipso in mentibus nostris fulgente, sapientia sine errore, lux sine caligine, justitia sine peccato, vita sine morte, requies sine labore, gaudium sine mœrore, dignitas sine tremore, sanitas sine languore futura est, & DEUM, qui finis erit desideriorum nostrorum, sine fine videbimus, sine fastidio amabimus, sine fatigatione laudabimus; libet enim Augustini verbis, civitatem DEI suam concludentis, hanc epistola partem finire. Te & Fratrem, virtutis & gloria hæredes, hortor, ut publicis monumentis historiam vitæ & administrationis ipsius Ecclesiasticæ & colloquiorum, reformationis Ecclesiarum & Scholarum, & aliorum, in quibus versatus est, negotiorum præcipuorum, distinctis temporibus notari & scripta conservari curetis; non solum ut memoria patris in his terris diuturnior sit, verum etiam ut testimonium de doctrinâ Ecclesiarum nostrarum illustre ad posteritatem propagetur. Benè & feliciter vale. Pridie Pentecostes, 1581.

Videtur ei historiæ manum admovisse *D. Jo. Pappus*, qui de impedimentis quibusdam, quo minus opus absolveret, conqueritur, Ep. XLI. Part. V. & tamen ejusdem spem facit, etiam epist. XLII. Sed ea sine dubio lucem nunquam vidit. Eratenim crypto-Calvinianorum in Rep. atque Academiâ Argent. eo tempore tantus numerus, ut neque liberè cuiquam de religione scribere liceret, nec quis id faceret, in publicam id edi permetteretur.

## CAPUT VII.

De

## VARIIS RELIGIONIS CONTROVERSIIS, EX HIS EPISTOLIS LUCEM ACCIPIENTIBUS.

**P**rima OSIANDRICA est. Natus erat Osiander in Marchionatu Brandenburgico, oppido *Günzenhausen* Anno Domini MCCCCXCIX. ac duce *Luthero VVittebergæ* in studiis profecerat. Cum Augustana Comitum eo tempore haberentur, quo publica fidei Lutheranae confessio Imperatori oblata est, Albertum, Marchionem Brandenburgicum, summum Borussiae magistrum, cum publicis concionibus, tum privatis & familiaribus colloquiis, Osiander ad Lutheranas partes ita traduxit, ut Marchio haud illubenter factus fuerit, Osiandrum primam sincerioris doctrinae lucem in ipsius pectore accendisse. Quare cum ob religionem Interimisticam Anno MDXLIX. Noriberga, ubi Ecclesiae ministerio anteaungebatur, exularet, invitante Alberto, Regiomontem, ad professionem Theologiae in Academia recens instituta & Pastorum veteris oppidi obeundum, concessit. Anno MDXLIX. Narrat libro vicefimo *Jo. Sleidanus*.

Anno sequente MDL. postquam in enarratione primorum capitum Geneseos peregrinas quasdam de imagine Dei doctrinas

tas auditoribus suis instillasset, paulò post longè graviori se errori implicuit, de justitia hominis coram Deo, cujus summam *Dav. Chytræus*, lib. xvii. Saxonix, his verbis recenset: *Nos solâ essentiali DEI justitia justos esse, essentiali ejus vitâ vivere & victuros esse, essentiali ejus gloriâ glorificari, essentiali illius charitate ad diligendum DEUM & proximum propter ipsum inflammari; & gravissimè errare omnes, qui putant, aliâ re, quam solo uno & vivo DEO, Patre, Filio & Spiritu S. nos posse justificari, vivificari, glorificari: Et glacie frigidiora docere, qui doceant, nos tantum propter remissionem peccatorum imputari justos & non etiam propter justitiam Christi essentialem & Divinam, per fidem nobis inhabitantis.*

Ea disputatio in contentiones adèò inimicas excrevit, ut non Prussiam tantum, sed universam penè Germaniam involveret; nec per biennium tantum, ad mortem nempe usque *Osiandri*, quæ ei obtigit 17. Octobr. Anno M D LII. duraret, posteaque quiescere inciperet, ut refertur in *Epit. Hist. Eccl. Sec. XVI. p. 556.* & in *Isagog. in Form. Conc. p. 1285.* sed majoribus flammis exardesceret, donec anno M D LIV. cum ad componendum dissidium è *VVürtembergico Ducatu Jacobus Beurlinus*, è patria verò nostra, *Marchionatu Badensi, Rupertus Diirr*, *Ecclesiæ tum Pforzheimensis Antistes*, in Prussiam venissent, *Marchione præter omnium opinionem & expectationem subito ad meliorem mentem redeunte*, promulgato decreto sopiretur. Cujus rei uberrimam narrationem, una cum institutis idèò colloquiis, *Atisque aliis, Jo. Wigandus* consarcinavit.

Erat *Osiander* vir elati animi, quique ab aliis doceri vel corrigi sustinere prorsus non poterat. Cujus rei specimina *Melchior Adami* in vita ejus, (ex quo omnia sua *Jo. Hoornbekius* deprompsit) diligentissimè congestit. Unde bonorum in se omnium odia, accedente inprimis causæ justitia, concitavit. Qua de re legi potest epistola partis secundæ nona. Suffultus verò favore atque patrocínio *Alberti*, qui jam à longo tempo-

re Osiandrum Theologis omnibus prætulera, dominium quoddam in Ecclesiam affectabat, sperabatque fore, ut brevi tempore mustea religio Osiandrica toto orbe obtineret. Ei fini & libros, opinionem suam defendentes, atque argumentorum numero potius quam pondere turgentes, in publicum, permittente Principe, edebat, adversariis ejus ab hoc beneficio exclusis, & eos, qui dogmati suo adversabantur, manu Marchionis in exilium agebat, & Melanthonem atque alios, genuinæ in hac doctrina sententiæ assertores, immanibus convitiis & criminationibus proscindebat. Denique Joachimum Mörlinum, optimum doctissimumque Theologum, incomparabili modestia eundem de errore, utque paci Ecclesiarum aliquid daret, admonentem, plena fastu epistola, homo impotens, quique militem rectius & gnathonem aulicum quam Ecclesiæ doctorem egisset, adortus, omni amicitia pacique renunciavit, ut ignem in ecclesia accensum in incendium converteret, quo tota brevi ecclesia conflagraret.

Requisiverat Albertus variarum Academiarum & Ministeriorum de exorto inter suos certamine judicia. Cumque illa, ut credibile est, Osiandri errorem damnarent, nec nisi VVürtembergicorum Theologorum censura, cujus auctor *Jo. Brentius*, Osiandro à juventute familiaris, credebatur, disputationes Osiandricas aliquâ sui parte approbaret, eam amore Osiandri cupidè amplectens Albertus adversariis ejus, omnium judiciorum evulgationem nequicquam efflagitantibus, tanquam scutum objecit. Inde novæ de judicio Brentiano altercationes. Nonnullis id Osiandro favere asserentibus, aliis id pertinaciter negantibus. Inter posteriores *Nicolaus Gallus* & *Matthias Flacius Illyricus* fuere, quorum plena gravitate & modestia Theologicâ Epistola ad Theologos VVürtembergicos, (à quâ descriptum exemplar inter Marbachianas asservabatur) extat, Part. II. epist. XIII. Nam in eâ VVürtembergicorum judicium adjectis explicationibus in sensum veritati haud refragantem, ne per id, sequius intellectum, errori

errori Osiandrico, sese latè diffundenti, patrocinium crearetur, interpretantur, utque id sibi Ecclesiæ juvandæ causa liceret, ejusdem auctores maximopere rogant. Inter priores verò præcipuè *Maximilianus Mörlinus*, Ecclesiæ Coburgensis Superintendens, erat, qui artium Osiandricarum magis quam VVürtembergici gnarus, ignavo Svevici judicii tepori ita irascebatur, ut cum Anno MDLVI à Carolo, Marchione Badensi, unà cum Jo Stöffelio, M. Michaelæ Dillero & Jacobo Andrea, in arcem Pforzheimensem, ad deliberationem de reformandis Ecclesiis inferioris hujus Marchionatus & ad conscribendam ordinationem Ecclesiasticam, vocaretur, Brentii errorem Osiandricum, eo capite, in quo de constitutione doctrinæ agebatur, nominatim perstringi vellet & condemnari. Nisi à Jacobo Andrea, Brentium, virum de Ecclesia optimè meritum, ab opinione istâ alienissimum & de hoc duntaxat incertum esse, utrum error ille Osiandro jure attribueretur, fuisset demonstratum. Rem ordine commemorat *Jacobus* in Famâ Andreanâ refluente; p. 54. f.

Imposuerat nempe Osiander ambiguus atque obscuris loquendi modis, ut solent novarum opinionum architecti, etiam optimis quibusque ut dubitarent, condemnanda esset Osiandri doctrina, an excusanda? Cujusmodi verborum involucria & sensuum latibula, quibus se abdiderat Osiander, cum recensuisset *Jacobus Rungius*, epist. III. Part. III. *Hæc tibi volui indicare*, ait ad Chytræum, *ut intelligas, qualibus prestigijs homines arguti contentur pingere & involvere Osiandri* βδελυγμῶν. Quare Legati Electoris Saxonici, Jo. Friderici, ad componendam eam controversiam ad Albertum, Prusliæ Ducem, missi, quatuor mensium spatio nihil aliud egerunt, quam ut auditis λογικαίς, sub quibus se Osiandristæ magno semper artificio occultaverant, infecta tandem re discederent. Quibus è minus mirum est, & Brentium deceptum fuisse, & filium Andrea, *Lucam Osiandrum*, Parentem ita interpretari, in Epit. Histor. Eccl. Sec. XVI. p. 555. f. ut, si vera ea sint, quæ adfert, ab orthodoxia parum recesserit & immeritò

inmeritò à genuinis Theologis fuerit impugnatus. Ait enim, Andream Osiandrum docendo : hominem justificari essentiali DEI in nobis habitantis iustitia : & Christum secundum Divinam naturam esse nostram iustitiam : & iustitiam esse id, quod nos impellat ad iustè agendum ; nihil aliud voluisse, quam quod Paulus scripsit : DEUM esse, qui in nobis operatur & velle & perficere. Docuisse enim simul : Christum pro nobis perfectè legem implevisse, & pro totius mundi peccatis plenissimè satisfecisse, & hominem per fidem in Christum redemptorem consequi omnium peccatorum suorum remissionem, & hominem nisi debere coram iudicio Divino Christi merito. Hoc solummodo concedere videtur, abusum videri justificationis vocabulo, quod pro regeneratione acceperit, indeque acres in se Theologorum censuras conciverit.

Verum alia cæterorum Theologorum omnium, non diffidente Luca Osiandro, sententia fuit, nimirum non in verbis tantum, sed in re ipsa errasse Andream. *Philippus Melancthon*, consultus à Jacobo Rungio de Artopæo Stetinensi, cuius in epistola tertia partis tertiæ mentionem habes, hunc in modum respondit : (Extat epistola in Consiliis Philippi Theologici, p. 158.) *Non judico, Osiandri controversiam tantum esse, sed de re magnâ dissentit ab Ecclesiis nostris, & obscurat consolationem in vero agone unicam, vel delet potius, cum jubet intueri iustitiam essentialem & non deducit nos ad promissionem offerentem misericordiam per obedientiam mediatoris. Omitto alias ejus disputationes, quas obiter intexit, in quibus etiam à verâ doctrinâ discedit. Sed etiam si excusetur Osiander fucosâ interpretatione, ut verbis tantum dissidere videatur, tamen ejus phrasis non recipienda est, quia parit ambiguitatem. Et dissimilitudo phrasis in populo gignit dissidia. Neq; Artopæo, neq; alijs concedendum est, ut aut Osiandrica doceant, aut publicè proponant conciliationes Osiandrici dogmatis. Et si quis admonitus non desinit turbare Ecclesiam, defendendo Osiandrica, aut fingendo conciliationes, removeatur ab officio, quia oportet hanc*

*lucem*



*Lucem retinere sine caligine, quod fiducia debeat nisi misericordia DEI, promissâ propter obedientiam filij, sicut David inquit, non in justitiâ nostrâ, sed in misericordia tuâ propter Dominum exaudi nos.*

Nec id certè immeritò. Nam non tantum Divina essentiali justitiâ nos justos coram tribunali Divino esse asseruit, sed eam sententiam, quæ in remissione peccatorum & imputatione justitiæ Christi justitiam nostram consistere asseverat, tanquam glacie frigidior, rejecit, iisque ad comprobandum paradoxon suum argumentis usus est, quæ communem sententiam necessariò destruebant. Collegit Jo. Wigandus magno numero formulas modosque loquendi ex scriptis Osiandricis, quæ cum interpretatione supra adductâ *dis d'ia novis* pugnant, neque cum câ ullo pacto consistere possunt. Quod si veram, inque Ecclesia tum ubique receptam, atque à reformationis tempore contra Pontificios acriter defensam, sententiam intellexit Osiander, cur eandem hostiliter invasit? Cur peperit novam, professus veram justificandi rationem neminem hæcenus intellexisse? Cur Ecclesiam verborum certaminibus turbavit ac propemodum evertit? Si haud intellexit, cur meliora monentes contempsit? Cur tantum Ecclesiæ scandalorum dedit? Quare & Theologi VVormatiæ, Anno MDLVII. congregati, facillimam ajunt esse demonstrationem, ea extare in Osiandri scriptis, quæ ei tribuuntur, adeoque ab ipsis Brentium atque Jacobum immeritò sejungi. Epist. XLIIIX. Part. II. Et D. Jacobus Andrea, qui primis ministerii sui annis Syncreticis conciliationibus, quod aliquot ex Famâ Andreana exemplis probatum ire possem, plus æquo deditus fuerat, unde & nescio quid labis postea quoque apud plurimos ei adhæsit, tandem agnovit, docuisse Osiandrum: *justitiam fidei esse justitiam DEI essentialem, quæ sit ipse Christus, ut verus naturalis & essentialis DEI filius, qui per fidem in electis habitat, eosque ad benè operandum impellat, & hac ipsâ ratione eorum sit justitia, cujus inhabitantis essentialis justitia respectu omnium ho-*

*minum peccata sese habeant instar guttulæ aquæ, ad magnum mare collata.* Id enim nisi verè de Osiandro sensisset Jacobus, cum larvis luctatus esset, quando in Conc. Formulâ, art. III. quosdam è nostris Theologos id contendisse, seu asseruisse, disertis verbis testatur.

Sed hæc sive ad intelligendas Epistolas nostras, de Osiandrico negotio agentes, sive ad rectius percipiendam ex Epistolis nostris controversiam Osiandricam, omninò sufficient.

Secunda controversia STANCARICA est. Fuerat Franciscus Stankarus natione Italus, qui Hebræam primum linguam in Academia Cracoviensi docuerat, in qua ob Lutheranismi suspicionem carceri quidem inclusus, sed famuli sui beneficio elapsus Regiomontem concessit, ubi ejusdem linguæ professionem aliquandiu sustinuit. Motâ verò ab Osiandro controversia, cum ubique eidem contradici cerneret, ipse lapsus in adversam partem non tantum negavit, Christum secundum Divinam naturam justitiam nostram esse, sed planè asseruit, id ei axioma secundum solam humanam naturam competere. Quem errorem Petri Lombardi & Scholasticorum lectioni à juventute innutritus, quos recentioribus doctoribus, Luthero, Melanthoni, Calvino, longè prætulit, in Prussiam secum importavit potius, quam in eadem exclusit. Rogatus à Duce Prussiæ de ejus doctrina Philippus Melanthon, sententiam ejus condemnavit. In quem ideò impotenter quidem invectus est Stankarus, sed metuens tamen, ne deponeretur ab officio, ultrò Regiomonte in Poloniam, unde venerat, discessit, ibique non contra Prutenicos tantum, sed Tigurinos etiam, aliosque opinionem suam immani affectuum immoderatione defendit.

Ea doctrinæ Lutheranae novatio, seu potius corruptela, haud minores turbas in Ecclesia nostra excitatura fuisset, si quale in Marchione Alberto invenerat Osiander, prorogandi erroris præsidium Stankaro obtigisset. Eo verò cum desereret, intra Ecclesiarum Polonicarum, ex Lutheranismò atque Calvinismo  
quasi

quasi mixtarum, angustiam totalis ista conclusa mansit, donec habitis eo in negotio variis colloquiis, cum morte Fr. Stankari, quæ incidit in annum M D LXXIV. illa simul intermoreretur. Tradit tamen ex auctore historiæ Ecclesiarum Slavonicarum Joannes Hoornbeekius, libro nono summæ controversiarum, p. 735. referre quosdam, respuisse ante obitum Stankarum, vel saltem propter pacem Ecclesiæ litem omisisse ac deposuisse.

Philippus Melanthon, Epist. XIV. Part. II. & ejusdem partis Epist. XL. præter errorem de justitiâ Christi alias quoque *καφελος* Stankaro adscribit. Quales sunt, quas in Stankarismi libro II. p. 69. collegit Jo. Wigandus; utpote de proprietatibus personarum Divinarum: esse proprietatem filij DEI, mitti & incarnari, hæreticum est, excrementum Melanthonis est. (vocabulum, hodie quoque à nonnullis, modestiæ Stankarianæ imitatoribus, in simili disputatione usurpatum.) Sic etiam, proprietatem Spiritus Sancti, mitti, hæreticum est. De libero arbitrio: Omnibus hominibus est liberum arbitrium. Nam negare liberum arbitrium hominum, est negare, homines esse homines, sed eos bestias seu bruta constituere. De peccato originis: Non debemus tenere, ut vitiatam carnem à vitiatâ carne, ita vitiatam animam à vitiatâ animâ primorum parentum peccato nos trahere. De sacra Domini cœna: Corpus, quod est corporis, spiritus verò, quod spiritus est, comedit; nempe ore corporis, panem & vinum, ore verò anima, hoc est, fide, verum corpus & verum sanguinem Christi sumimus. De statuis ac imaginibus: Tabulæ, picturæ, imagines, tollendæ ac demolendæ sunt, sic, ut ne memoria quidem istorum extet reliqua, in parietibus, fenestris vitreis, tam intra penates suos, quam templa. Leviora silentio præterimus.

Tertia controversia SVENCVELDIANA est. Erat Caspar Svencfeldius ex nobili in Silesia familia ortus. Ut autem id hominum genus, cum ad paupertatem redigitur, per quascunq; licet artes ad nōminis claritatem grassatur: ita Svencfeldius ab invida fortuna ex Equestri pompa dejectus, scribendo libros, qui

nunquam solidis sese studiis, & vulgaribus literis serò dederat, & innovando religionem, qui Luthero se nunquam addixerat & tamen discesserat è Pontificiorum castris, inclarescere annis est. Pulsus ob turbas in Ecclesiis Silesiis datas à Principe Lignicensi, Germaniam pervagatus est, Sueviam inprimis, vicinasque urbes, Noribergam Augustam, Argentoratum, Ulmam, ubi poterat, (poterat autem cum primis in nobilium familiis) opinionibus suis imbuendo. Quantum effecerit Argentorati, Fabricium quoque Capitonem, virum certè perquam eruditum, sibi nimis quam addictum reddendo, qui & librum quendam ejus præfatione ornavit, epistola xxxiv. Part. viii. abunde testatur. Constat ex ea, magno tum numero fanaticos istos homines Argentorati nidificasse. Nec postea defuisse, qui clanculum impietatem istam ibi promoverent, ex epistola cccxli. Part. iv. edocemur. Poterat equidem seductor credulam plebem, naturali, quâ pollebat, oris facundia, fictaque, quam mentiebatur, sanctitatis specie, facili operâ circumvenire: sed quod & viris, in vario disciplinarum genere eruditis, quique scripta ejus, damnatis etiam in antiqua Ecclesia hæresibus scætentia, & verbi ministerium, tanquam unicum conversionis nostræ instrumentum, magna animi levitate & scurrilibus in primarios Ecclesiæ recentioris doctores maledictis, flagellantia, non perfunctoriè legerunt, imposuit, id verò tenebrarum potestatibus annumerandum esse censeo.

Inter errores hominis asininam ruditatem arguentes & iste est, quod etsi Christus, in gloria constitutus, veram Divinitatem humanitatemque retineat, caro tamen ejus seu humana natura non amplius sit creatura. Riderent hodie vanum literionem, qui nondum metaphysicæ logicesque rudimenta hausere. Sed is grande scilicet mysterium Suevis nostris obtrusisset, nisi *Martinus Frechtus*, Ulmensium tum Ecclesiarum præsul, ad totius Ecclesiæ judicium, inprimis primariorum ejus doctorum, qui tum Concilii Tridentini causa Smalçaldia congregati fuerant,

rant,

tant, provocans, conatus stolidissimi thraſonis reſreſſiſſet. Rem narrat ipſe epiſt. xvi. Part. II. Judicium Smalcaldenſium, deliris Suencfeldii ſomniis oppoſitum, exhibet *Wigandus*, Suencfeld. P. 378. f.

Est inter Reformatos, qui in Anabaptiſta, ut vocat, larvato, nonnullis, Suencfeldianam errorum harmoniam iſſis objicien- tibus, inprimis *Philippo Nicolai*, *Matthia Hoëo*, *Joanni Affel- manno*, & neſcio cui *Caſſaro Kleenio*, toto tremens corpore, ut ubique ferè, ubi vellicandi atque inſectandi Lutheranos occaſio eſt, irascitur, jubetque conſenſum iſtum, in communi utrinque Eutychniſmo, inter Lutheranos atque Suencfeldium quarere. Sed obſervatum à *Jo. Hoornbeekio* eſt, libro ſexto ſummæ con- troverſiarum, partim Suencfeldium ab Huldrico Zwinglio atq; Joanne Oecolampadio, ampliffimo, quale à Lutheranis nun- quam retulerat, cuique nec ipſe, non obſtante, quod in certa- minum principiis mitius de errantibus judicare ſoleamus, aſſen- titur, teſtimonio maſtatum fuiſſe; partim Lutherum eundem acerbiffimè inſectari, contra Carolſtadium perhumaniter eum tractare; quæ majoris utique cum Calvinianis amicitia indicia ſunt: partim Suencfeldium iſſum in Epiſtolis ſeverè de Luthe- ranis, mitius autem & benignius de Zwinglianis judicare; par- tim denique Lutheranos, cum humanæ in Chriſto natura divi- na axiomata tribuunt, iis id diſtinctionibus atque limitationibus facere, quæ craſſior atque rudior Suencfeldii philoſophia ne ca- pere quidem poſſet, quæque alium ſcilicet atque longè diver- ſum ab ejuſ fanaticifmo ſenſum coarguant. Quamquam nec Affelmanni intemperantiæ quicquam condonet *Hoornbeekius*.

Gloriatur de ſeiſo Suencfeldius, intra xxix. annos plus quam L. libellos vernaculo ſe idiomate vulgaſſe, ut Lutherus diſterio jaſtaverit: diabolum per eum vomere atque cacare li- bros. Et tamen illi non cupidè tantum, dum viveret, coem- pti, ſed major iſſorum pars collecta atque junctim poſt mortem edita eſt. Finem vivendi fecit Anno M D LIX.

Quarra

ii 3

Quarta controversia INTERIMISTICA est. Cum à Paulo, Pontifice, Cæsari ex privatis causis infenso, ut Concilium Bononia Tridentum revocaret, impetrari non posset, hæc servanda in imperio pacis ratio inita est, ut articulis quibusdam generalioribus, neque Lutheranam religionem ex toto condemnantibus, nec Pontificiam tamen in universum approbantibus, conscriptis, utraque pars, quousque de iis Concilium, legitimo loco congregatum, definiret, acquiesceret, atque secundum eos cultum in Ecclesia institueret. Auctores scripti Julius Pflugius, Episcopus Naumburgen. Michaël Sidonius & Joannes Islebins Agricola.

Is liber, INTERIM dictus, & Augustæ Vindelicorum cusus, unde & Sphinx Augustana vocabatur, quamquam nec Pontificiis nec Lutheranis arriserit, à Cæsare tamen, Germaniæ victore & militaribus copiis instructo, magna vi reformatis ecclesiis obtrudebatur. Quamquam verò Lutherani omnes initio tergiversari & rejicere fraudulentam religionis formam connisi fuerint, cum tamen temporis tractu rem vi & armis & bonorum quorumvis exilio agi cernerent, nonnulli cedere violentiæ & quædam, saltem circa ritus, approbare, alii constanter atque masculè contradicere perrexerunt. Ipse Melanthon, Theologorum VVittebergensium princeps, insectari primum ubique librum Augustanum, cunctosque ne eundem reciperent, cohortari; cujus responsa & epistolæ de hoc argumento partem secundam consiliorum ejus consiciunt. Cum Jo. Marbachius Anno MDXLIX. in Saxoniam, Theologos super communi negotio consulturus, mitteretur, Melanthon cum Joanne Bugenhagio, Casp. Crucigero, & Georgio Majore, ad Ministerium Argentoratense per Marbachium scribit: *Liber Augustanus continet manifestas corruptelas. Ideò nequaquam eum approbavimus, etiam si exilia & supplicia nobis proponentur.* Sed postea aliorum calamitatibus timidior redditus Melanthon, in quibusdam cedendum esse Pontificiorum furoribus arbitratus est. Quod cum ii, qui à Melan-

Melanthonis nutu jamdiu pendebant, animadverterent, illicò sequi præceptorem, & elevare controversiarum, inprimis quarundam loquendi formularum, momentum cœperunt. His à reliquis rigidioribus, quorum antesignani Matthias Flacius & Nicolaus Gallus fuere, qui acerrimis scriptis Philippum infectati sunt, Adiaphoristarum & Philippistarum nomen impositum est. In iis quid potissimum desiderarint, Epist. X. Part. II. exponit.

Hæserè Adiaphoristis & specialia cognomina ab auctoribus, qui hunc illumve loquendi modum præ aliis tenacius defendebant: utpote *Majoristarum*, à *Georgio Majore*, propositionem: Bona Opera sunt necessaria ad salutem, intempestivè reducete. *Synergistarum*, à *Victorino Strigelio*, qui liberi arbitrii vires plus æquo extollere videbatur: & *Adiaphoristarum*, peculiariter sic dictorum, qui ritus Ecclesiæ quocunque casu liberos esse contendentes cum Pontificiis ideò transigebant. His accessere ex Flacianorum parte *Amsdorfiani*, à *Nicolao Amsdorfio*, bona opera non tantum non necessaria ad salutem, sed perniciofa esse dicente. Quorum omnium doctrina in Formula Concordiæ rejecta est. Miror, *Joannem Hoornbeekium* in summa controversiarum, p. 731. Majoristarum schisma ab Amsdorfio deducere, eique assignare doctrinam: bona opera sunt perniciofa ad salutem. Cum Amsdorfius Majori è diametro repugnaverit, & ut in disputationis fervore fieri consuevit, vehementi contradictione in excessum istum fuerit delapsus. Conati sunt Principes Saxonici ista dissidia, instituto Altenburgi colloquio, in concordiam redigere; sed infelici successu, ut innuunt Partis III. epist. CLVII. & CLIX.

Quinta controversia SERVETIANA est. Orta à *Michaële Serveto*, Tarraconensi Hispano. Is è medico Theologus factus, atque ex Hispania in Gallias veniens, vetera Pauli Samosatani, aliorumque antiquorum hæreticorum, dogmata resuscitans, negavit, SS. Trinitatis personas aliter nisi nominibus & officiis differre. Quam hæresin postea *Laelius Socinus*, ex Italiâ oriundus, non disseminavit tantum in Poloniâ, sed erroribus quoque aliis  
utpote

utpote; meritum Salvatoris nullum esse, neque æquivalentem pro peccatis satisfactionem, sed *libere* duntaxat quaecunque, in exemplum nobis, quod imitemur, propositum, cumulavit. Capita errorum perfunctoriâ operâ recensentur Epist. XIX. Part. III. Refutationem ex Calvini atque VVigandi scriptis collegit libro undecimo catalogi hæreticorum *Conr. Schlüsselburgius*.

Is Servetus, cum Anno MDLIII. Genevam venisset, Senatus, de illo certior factus, comprehendi eum iussit, ac deinde Calvino, qui jam antea scriptis eum oppugnaverat, & cæteris Ecclesiæ ministris injunxit, ut sermones cum eo conferrent. Itaque institutâ inter eos multâ atque acerbâ disputatione, cum de sententia non cederet, sed convitiis etiam & maledictis sua propugnaret, à Senatu, qui doctores Bernates, Tigurinos, Basilienses & Schaphusianos, ne quid in causâ tam gravitè fieret, confulcerat, capitis est damnatus. Memorat *Jo. Sleidanus*, & addit: *ut ad locum supplicij venit, hortante Guilielmo Farello, Christum, æternum DEI filium, invocare noluit, & quum penitentia signum nullum daret, causam tamen ad populum minimè defendit.*

De isthoc Serveti supplicio non unum fuit multorum iudicium. Necis invidiam plerique in Calvinum constabant. Is edito libro, anno, MDLIV. cui titulum præfixerat: *Defensio orthodoxa fidei de sacrâ Trinitate, contra prodigiosos errores Michaëlis Serveti, Hispani: ubi ostenditur, hæreticos jure gladij coercendos esse; & nominatim de homine hoc tam impio justè & meritò sumptum Genevæ fuisse supplicium;* quid, quoque jure in Servetum actum sit, demonstrat. Non inficiatur, sua operâ consilioque in carcerem fuisse conjectum, quia recepto civitatis suæ jure criminis reum peragere oportuerit. Nec diffitetur, suo consilio dictatam esse formulam, qua patefieret aliquis in causam ingressus. Ex quo verò fuerit convictus, de pœna ne verbum se fecisse. Quo tamen non obstante, & in id genus hæreticos gladii pœnam statui posse, & jure crematum esse Servetum, veluti ipse libri titulus innuit, probat. Quod ut obtineat, partim argumenta quædam,  
in con-



in contrarium adducta, solvit, partim rationibus sententiam suam corroborat. Tum verò de Serveto pronunciat, non metuumdum ipsi fuisse gravioris pœnæ periculum, dummodo quocunq; modo fuisset sanabilis, potuisseque sola modestia, ni mente privatus fuisset, vitam redimere. Verum illum tantum abfuisse à moderatone, ut jactantiæ & ferociæ plenus sana omnia & utilia consilia petulanter respuerit. Neque etiam in ipso carcere ab absurdis execrandisque blasphemis sese continuasse, qui antea Cerberum tripitem vocaverit, SS. Trinitatem, monstrum tripartitum, denique DEOS imaginarios, illusiones & tres DEOS dæmoniorum, si realis inter Patrem & Filium & Spiritum S. distinctio statueretur. Quamquam itaque non in omnes hæreticos sæviri capitali supplicio possit, duas tamen esse causas, sanos omnes concedere, cur puniendis falsorum dogmatum authoribus major adhibenda sit severitas: si indomita sit eorum contumacia, ut reprobis & à seipsis damnati docere pergant, deinde si detestanda sit & minimè tolerabilis errorum impietas. Quod utrumq; in Servetum competuisse, longo verborum apparatu & missis à quatuor civitatibus judiciis docet. Apparuisse verò in morte ipsius beluinam stupiditatem, unde indicium facere liceat, nihil unquam seriò in religione ipsum egisse. Ex quo mors ei denunciata sit, nunc attonito similem hæsisse, nunc alta suspiria edidisse, nunc instar lymphatici ejulasse. Idque postremò sic invaluisse, ut tantum Hispanico more reboaret: misericordia! misericordia! Ubi ad locum supplicii ventum sit, hortatu Gulielmi Farelli tandem ægrè extortam ei vocem fuisse, ut populus communes secum preces conciperet. Et quamquam nullum resipiscentiæ signum dederit, pro suorum tamen dogmatum defensione ne verbum quidem facere conatum esse.

Hæc Calvinii pro justitia supplicii Servetiani disputatio plerosque eo tempore Ecclesiæ, etiam nostræ, doctores commovit, ut non immeritò sublatum è medio hoc hominis monstrum, tam temerè Divinum numen convitiis lacerans, persvaderentur. Si enim Judæus, Servatorem nostrum aut S. Trinitatem blasphemans,

mans, capitis pœna rectè plectatur, cur non simili pœna in hominem, Christianam religionem professum, longè justius animadvertatur? Quare & *Sulcerus* id supplicium approbat, epist. xxx. Part. II. Theologi Mansfeldensis Ecclesiæ meritò capite eum multatum esse asserunt, apud *Schlüsselburgium*: p. 121. Nec videtur ab ea opinione alienus esse *Mart. Kemnitius*, in *Locis Theol. de tribus personis Divinitatis*. Et *Johannes Pappus*, in *Epit. Hist. Eccl. Omnium maximè hic nominandus venit D. Frider. Balduinus*, qui in disputatione, *VVittebergæ habitâ*, Anno *MDCCXXIX*. De Hæreticis, & quomodo sint coercendi; cap. VI. §. 228. seqq. magistratus officium circa coercendos hæreticos in eo consistere asseverat, ut falsæ doctrinæ disseminatores, ab Ecclesiastico ministerio legitimè convictos, & tamen etiamnum vel voce vel scripto alios seducentes, compescat, eosque vel carcere mulctet, ut & ipsi sapere discant & aliis molesti esse desinant, vel ad suos procul abire jubeat, ut ad minimum sui territorii incolæ ab eorum veneno tuti esse possint. Ut nempe cum *Crypto-Calvinianis VVittebergenibus*, *Lipsiæ* aliquandiu in custodiâ detentis, actitatum est. Atque hac ipsâ vel carceris vel exilii pœna, si rem rectâ lancè appendamus, puniri eos ait, non ut hæreticos, sed ut turbatores pacis publicæ & legum publicè promulgatarum temerarios transgressores; siquidem ex confessionibus & edictis publicis eos latere nequeat, eam, quam propagant, hæresin, in ista, unde excluduntur, regione non tollerari. Quod si accesserint ad hæresin alia facinora, puta seditiones, tumultus, insidiæ magistratibus positæ, & si quæ sunt his similia, qualia in *Donatistis* & *Circumcellionibus* tempore *Augustini* deprehensa fuerint, integrum esse magistratui, ut & capitis pœnam delinquentibus decernat; (quod nempe ex hac ipsa causa *Crellio* in *Saxonia* contigit) tunc enim non ut hæreticos, sed ut flagitiosos puniri & non in peccata primæ, sed secundæ tabulæ gladio animadverti. Simile verò prorsus judicium esse de blasphemis, qui absque fronte & manifestis verbis

DEUM

DEUM Patrem & Filium & Spiritum S. blasphemant pertinaciter; quemadmodum eo nomine à Judæis interdum supplicium sumptum sit, & Bernæ de Valentino Gentili, Genevæ de Serveto, non tam ut sectario quodam, (quemadmodum Beza scribat in vita Calvinii) quam ut de monstro, ex mera impietate, horrendisque blasphemis conflato, quibus totos annos triginta cum voce tum scriptis cœlum ac terram infecerat.

Non tamen defuere illo jam tempore, qui Serveti supplicium improbarent. De *Petro Tossano*, Ecclesiæ Montisbelgardensis per annos sex & triginta antistite, Sulcerus, epist. XXIX. Part. II. *Cum Serveto voluisset non adeò ad ignes properatum, sed carceribus potius perpetuis coercendum.* Nec ita multò post sumptam à Serveto pœnam *Martinus* quidam *Bellius*, farraginem quandam judiciorum, supplicio isti oppositorum, ex veterum atque recentiorum lucubrationibus collectam, edidit. *Quam Theodorus Beza*, libro de Hæreticis à civili magistratu puniendis, qui primo volumini Tractationum ejus Theologicarum insertus est, magno animi fervore, Calvinii potissimum & Genevensium famæ velificaturus, refutavit; ad Philippum Melanthonem præcipuè provocans, qui in epistola quadam ad Bullingerum scripserat: *Legi etiam, quæ de Serveti blasphemis respondistis, & pietatem & judicia vestra probo. Judico etiam, Senatum Genevensem rectè fecisse, quod hominem pertinacem & non omissurum blasphemias sustulit. Ac miratus sum esse, qui severitatem illam improbant.* Beza verò *Lambertus Danaus* in Prolegomenorum ad Augustinum de Hæresibus octavo capite veterum quorundam testimoniis suffulcivit.

Quamquam verò eam controversiam hic nostram facere nequeamus, qui hæc illustrandæ tantum allegata ex opere nostro epistolæ adferimus, negari tamen nequit, eam coercendi hæreticos severitatem eo tempore in reformata Ecclesia insolentem fuisse. Quod adeò verum est, ut & Pontificii eum rigorem perstrinxerint. E quibus *Petr. Suavis*, lib. V. Historiæ

Conc. Trid. p. 436. *Tunc primum, inquit, non sine multorum admiratione auditum, reformationis auctores religionis causâ sanguinem effundere.* Quibus Serveti exemplum subjicit. Nam Evangelici hæctenus eam in Pontificiis immanitatem, quam eo ipso tempore in Gallia præcipuè exurendo & excruciendo miseros, indignantibus ex ipsa Catholicorum parte cordatioribus, excrucerant, vehementer erant detestati, eique illud Augustini opposuerant: *illi in eos sæviant, qui nesciunt, quanto labore verum inveniatur & quam difficile caveantur errores.* Item: *fraus & malitia hæreticorum vel dolenda est, tanquam hominum, vel cavenda, tanquam hæreticorum, vel irridenda, tanquam imperitorum & superbiorum.* Nec ex producto à Calvino Tigurinorum judicio, (nam Bernensium, Basileensium & Schaffhusianorum in publicum edita non sunt) apparet, utrum harum civitatum Theologi, quippe qui doctrinam tantum Serveti, ut detestabilem, condemnarunt, de supplicio Serveti quicquam statuerint. Tantum testati sunt, obtulisse in præsentem sanctam DEI providentiam Genevensibus occasionem, repurgandi Helvetiam à pravâ suspitione, quâ apud exteros illa premeretur, quasi Ecclesiæ harum provinciarum hæreticæ sint & hæreticis faveant; *si videlicet, ajunt, vigilantes fueritis, diligenterque caveritis, ne veneni hujus contagio per hunc serpat latius.*

Equidem omni laude dignum est, quod Resp. Genevensis hunc SS. Trinitatis & Servatoris nostri, execrandum bonis omnibus, convitiatorem, carceri inclusum, in viam reducere omni studio adlaboraverit, nec iniquum fuerat, gravi pœna compescere hominis furorem, ne exempli malitia nocere aliis pergeret: laudemque non minorem meretur, quod Calvinus, primarius tum ejus urbis Ecclesiæ minister, hunc seductorem apud Magistratum detulerit, effeceritque cura & industria sua, ne, quod alibi tot cum animarum exitio impunè fecerat Servetus, abominandam blasphemiarum suarum doctrinam, creditis fidei suæ auditoribus clamve palamvo instillaret; nec denique repre-

hendendi

hendendi sunt illi Theologi, qui iusto dolore & indignatione effusarum in DEUM contumeliarum moti, hoc hominis portentum è medio sublatum esse, Ecclesiae gratulati sunt. Si tamen recto examine libres, argumenta Calvinii atque Bezae, tantam in haereticos, vel maximè convictos, severitatem exercendam esse non probant: *cum non sit hæc consuetudo orthodoxæ Ecclesiae, ut persequatur quemquam*, ait de Theodosio, Synodæ Episcopo, in Macedonianos cadibus grassante, Socrates, lib. xvii. Hist. Eccl. c. III. Et isthæc principia si admittantur, nemo non Lutheranorum, si in Reformatorum venerit potestatem, nemo non Calvinianorum atque Lutheranorum ministrorum, si in Pontificiorum manus inciderit, justè trucidabitur, si instituto uno alteroque cum ipso colloquio pro convicto, & ex. gr. in DEUM panaceum, (quod equidem crimen viro, qui festum corporis Christi refellens, hostias circumlatas, tanquam meras creaturas, ex aqua atque farina coctas, rectè adorari negaverat, haud ita pridem objectum memini à Pontificiis, persuasis, hostias DEUM esse, quem ille in creaturarum numerum, non toleranda criminatione, redegisset) blasphemus habeatur. Negat itaque Servetum ignibus adjudicandum fuisse & fundamenta à Reformatis adducta convellit D. Jo. Conr. Dannhauerus, Hodo-  
mor. Calvinianæ Phant. VI. p. 1288. f.

Simili supplicio Basileæ anno MDLIX. in Davidis Georgii, ante biennium demortui, corpus animadversum esse, epistola Sulceri LXXII. Part. II. enarrat. De quo probo iudicium Præceptoris mei, D. Dannhaueri, quod loco nunc allegato subjicitur: *An David Georgius, qui Basileæ adeo venenum non sparsit, ut potius, tanquam exul nemini suspectus, dignus fuerit habitus, qui in ade sacrâ tumularetur, post fata demum ad rogam querendus erat?*

Sexta controversia FLACIANA est. Orta à Matthiâ Flacio Illyrico, de quo supra dictum est. Erat nomen ipsius in Saxoniâ atque alibi apud τὸς Φιλίππωνας, quibus se in mediis persecutionibus admiranda constantia opposuerat, admodum invi-  
sum.

sum. Accedente itaque novo cum fuisset, qui cum ipso adventus Interimistas in acie steterant, de peccato originali certamine, acrius bellum, à duplici quippe hoste, in ipsum coortum est. Cui cum tandem Principali decreto cedere Jena necesse haberet, Ratisbonæ primum, mox Argentinæ per fugium quæsit. Itaque quid eo potissimum loco cum ipso actum sit, qua in re historia, à Jo. Wigando in Manichæismo renovato diligenter collecta, deficit, epistolæ nostræ exponunt, simulque eo in negotio modestiam pariter atque severitatem, adversus errantem exercitam, pulchrè repræsentant.

Accusabant Adiaphoristæ Flacii ingenium, ut inquietum & ad turbas excitandas atque fovendas valde promptum. De eo Melanthon, epist. II. Part. I. (quæ quidem epistola non est justo loco collocata) *Ate Illyrica nobis molesta est.* Fingit autem Homerus Aten DEAM, quæ noxas ac turbas soleat immittere rebus mortalium; atque ipsam quidem, ut in Adagiis notat *Erasmus*, acribus oculis ac prævelocibus esse pedibus. Cæterum post eam multo intervallo consequi Litas, DEAS, quæ, quod Ate turbaverat, sarcire moliantur. Has & strabis oculis fingit & pedibus claudis, illud nimirum innuens, offensas esse citas, reconciliationes esse tardas, propterea quod injuriæ diu meminisse soleant homines. Quo ipso indolem Flacii rixosam, suamque, quieti & tranquillitati studentem, scitè depinxit Philippus. Id vitium & alia verbosa epistola eidem objectat Jo. Pseffingerus, epist. CLV. Part. III. Nec id forte absque causa. Dubitandum enim non est, si in controversiis Adiaphoristicis adversarius Melanthoni obtigisset, qui cum scientia & parthesia majorem moderationem conjunxisset, in tam exitiosum Ecclesiæ bellum rem nunquam erupturam fuisse.

Illi Flacii mores non adeò explorati notique fuerant Theologis, longè hactenus ab ipso distitis, eamque maculam obtexerant eximia in Ecclesiam merita, quibus bonorum doctorumque animos artissimè sibi devinxerat. Argentoratensibus Illyricum,

ricum, hospitium apud ipsos ambientem, sollicitè commendat *Wolfgang Köteritius*, Epist. cxxxvi. Part. III. Longè enixiori opera *Wilhelm. Bidembachius*, suo atque Brentii & Jacobi Andreae nomine, Epist. cxxxix. quibus nempe persuaserat, à Philippistis, zelo ipsius offensis, ejectum se immeritò exulare, nec ab ipsorum insidiis locum, ubi tutus esse queat, invenire. Receptus itaque Flacius est à Senatu Argentoratensi; juxta Epist. cxi. Ut tamen beneficii in eum collati eundem statim pœnitèret. Epist. cxlii. Credo, fama publica territum, quod novas in Rep. atque Ecclesia turbas ab ipso metueret. Mansit tamen Flacius, adjutus nova commendatione *Köteritij*. Epist. cxlii. & intercessione *Jacobi Andreae*, Epist. cxliv. Qui tamen monuit, ne ipsi permitteretur, inutiles serere lites & concordia, quod cum aliis Ecclesiis ipsis intercedat, vinculum dissolvere.

Dum Argentorati erat Flacius, primum conversationis innocentia, & quod studiis suis incumbens nemini molestus esset, non tantum S. Ministerii favorem promeruit; id quod testatur Epist. I. Part. III. sed & D. Marbachium atque D. Pappum in partes suas ita pertraxit, ut cum sensum viri in articulo de peccato originis sanum esse persuasi essent, loquendi formam vel excusare vel defendere, quamquam diversa usi ratione, non dubitarent. Nam *Marbachius*, ut ex Epist. iv. Part. iv. patet, ejus sententiam haud aliter explicuit, atque à celeberrimis Theologis & hodie intelligi, vitam ejus recensendo, supra ostendimus. Quamquam *D. Chytraeus*, quod & hodie faciunt Theologi, phraeos insolentiam non immeritò castigaverit. *Pappus* verò, ad *Christophorum Irenaeum*, hominem Flacianum, scribens, disertis verbis fatetur: sententiam ab Illyrico veram defendi, quoad loquendi modum substantia quidem vocabulum abjicit, atque in hoc Illyricum, (hic libenter cessurum; Epist. LX. Part. IV.) corrigit, causa tamen simul ejus patrocinatur, dum & accidentis terminum rectè in hac materia adhiberi negat. Epist. LIX. Quæ verò quæ *Angustina* dicantur, nunc non disputo. Sed & alia, in primis

primis *Jacobi Andreae*, epistolæ documento sunt, non omnibus placuisse Theologorum Argentoratensium præstitam in causâ Flacii moderationem.

Sed verò diu latere non potuit Flacii abhorrens à pacis studio & cedere nescia, suisque opinionibus tenaciter inhærens, animi consuetudo. Postquam enim id effecit, ut ipsi sententiæ suæ Theologi Argentoratenses essent addicti, ulterius sibi progrediendum esse ratus, cum formulis suis, revera absurditate & offendiculo plenissimis, in publicum prorupit. Conqueritur de eo *Köterizius*, de salute ipsius antea tantopere sollicitus, Epist. CLIII. Part. III. Ea quoque causa est, cur Senatus Argentoratensis virum, serendis dissensionibus natum, cum præcipuè Augusti Electoris literis, ubicunque esset, impeteretur, juxta Epist. XI. Part. IV. libentissimè à se, si fieri potuisset, dimisisset. Quare & Basileæ & Lindavii, à Theologis nempe Argentoratensibus ab orthodoxia commendatus, ut patet ex epist. X. Part. IV. sed frustra, hospitium quæsit. De eo *D. Sulcerus*, epist. VII. Part. IV. *Doleo vehementer, virum bonum & eruditum, deque Ecclesiâ optimè meritum, adeò infestari, ut, si fieri queat, ejus etiam ex orbe quaratur exterminium.* Postquam verò ex Saxonia, Anno MD LXX. rediisset *Jacobus Andreae*, turbulentum Flacii & Flacianorum ingenium, graphicè depinxit, atque ab amando Flacio Marbachium, cujus occupatum noverat animum, seriò dehortatus est, omnem turbarum Saxoniarum in ipsum culpam devolvens. Epist. XVI. Part. IV. itemque Epist. LIII. Instinctu tamen Marbachii non detrectavit Jacobus, ex visitatione Montisbelgardeni domum Argentorato transiens, cum Flacio colloqui, ad diem X. Augusti, Anno MD LXXI. Sed irritato conatu, ut indicat Epist. LXIV. Part. IV. Et ita, ut scriptis posthac ageretur controversia. Quod factum à Jacobo, exigua profectus spe; juxta epist. LXVII. imò irritato Flacii pertinacia animo, ut patet ex epist. LXX. Quo ipso tempore & Theologus, pacis cum veritate conjunctæ amantiissimus, *Sim. Sulcerus*, optavit



optavit: *virum pietate & doctrinâ præstantem flecti posse, ut bonorum acquiescat consiliis, ne zelo inconsulto affectare, quam cavere debebat, offensionem videatur.* Atque id & Marbachii votum fuisse, in verbis præcedentibus est testatus. epist. LXXIV. Si enim in merâ verborum & phrasium pugna controversia consisteret, ut putarat Marbachius, nec ex tot conflictibus animadvertere non poterat Flacius, cur Ecclesiæ paci id non daret Flacius, ut cedendo & animi sui bonitatem explicaret, & Ecclesiæ concordiam restitueret.

Ex eo alienatis à Flacio Argentoratensium quoque animis, exortum utrinque pro exulta hæctenus cum exule, benevolè recepto, amicitia bellum, auctorem, ut tandem Francofurtum non sine relicta obstinati animi & abominabili ingratitude notâ discederet, compulit. Eam graviter accusat *Sulcerus*, epist. LXXXVII. & XCVI. Part. IV. Nec dimoveri ab intemperie ista, quousque fata vitam ei concesserunt, potuit; cujus finem adeptus est Anno MDLXXV. Eadem pertinacia & eorum, qui ipsum sectabantur animos, dum viveret, infedit, de quo conqueritur *Mencelius*, epist. CXI. & CLXXXV. Mortem verò Flacii, ratus, iusta se indignatione & Divino pro veritate zelo intractabilem ejus pervicaciam ulcisci, paulò duriore judicio prosequitur *Jacobus Andrea*, epist. CLXXXVII. Part. IV.

Septima controversia HUBERIANA est. *Samuel Huberus*, in Bernensi agro publico Ecclesiæ ministerio fungens, cum lectis Colloquii Montisbelgardensis actis, à Beza, & meriti Christi & promissionum Divinarum particularitatem, itemque electionem hominum absolutam, aliaque id genus *θεωρητὰ ἀκρίβεια*, qualia hæctenus Reformatus ipse a Reformatis non facile audiverat, defensa esse animadverteret, Senaturn Bernensem, ut ab ea doctrina sibi caveret, admonet; sed colloquio cum eo instituto cum à sententia non cederet, exautoratus in exilium mittitur. Tubingam itaque veniens primo Derendingensi Ecclesiæ præficitur, postea cum adversus Calvinianos er-

rores feliciter disputasset, ad subeundum Professoris Theologi munus VVittebergam vocatur. Ubi assumpto summo in Theologia gradu, quod hactenus intra pectus prefferat, universalem quandam hominum omnium ad æternam salutem electionem, quæ opinio in Ecclesia Lutherana inaudita fuerat, disseminat in vulgus. Cumque à collegis, *Ægidio Hunnio*, *Polycarpo Lysero*, atque *Salomone Gesnero*, acriter ei contradiceretur, ista velitatio in acerbum bellum degeneravit, Hubero quidem ab officio remoto, sed tamen sententiam suam, ubicunque vagaretur, scriptis publicis propugnante. Non deerant Hubero sectarii, nec tamen facile quisquam præter ipsum calamo pugnabat, eum è contra innumeri contra eundem editis integris libris insurgent. Nam præter Theologos VVittebergicos & Tubingenses, qui se ipsi dedita opera opposuerant, & *Phil. Marbachius*, communicata cum Pappo opera, adversus ipsum scripsit, juxta epistolam operis nostri XLIX. & XLIX. Part. VI. & *Jacobus Heibronnerus*, secundum epistolam LXXV. ejusdem partis. Et quamquam Huberus Theologorum Rostochiensium initum secum consensum jactaverit, cujus formulam, anno MDXCV. Confutationi suæ, ut vocat, subjecit; eum tamen non tam constantem ac solidum fuisse, ut ei inniti potuerit, aperit epistola partis sextæ quinquagesima.

Non potest exprimi verbis, quantis turbis dissidium istud Ecclesiam involverit, perinde ut Flacianum, cujus paulò ante historiam delineavimus & cui admodum simile fuit. Ut enim hoc auctorem habuit ingenio turbulentum ac procacem: ita & istud. Non enim poterat Huberus ferre monitorem, quantumlibet modestum, qui clarissimos Theologos, *Æg. Hunnium* & *Polycarpum Lyserum*, pro fungis habuit, *Sal. verò Gesnerum*, qui tum paulò junior cæteris accesserat, ne sustinuit quidem nominare. Ut Flacius sensus sobrietate doctrinæ analogiam non læserat, phræcos insolentia vulnus Ecclesiæ haud mediocre inflixerat: Ita & Huberus. Ut Flacius toti non cessit Ecclesiæ,

sed

sed universali Theologorum consensu victus, cerebri tamen sui monstrum obtrudere simplicioribus perrexit: Ita & Huberus. Ut rixæ Flacianæ nonnisi cum morte Illyrici sunt sepulcræ, coque defuncto, velut favilla, in auras evanuerunt: ita & contentiones Huberianæ.

Atque id certamen de verbis potius quam de re fuisse, disertè faretur *D. Leonh. Hutterus*, epist. XLII. Part. VI. *Rectius ille sentit*, ait, *quam loquitur*. Nec hoc dissimulant Theologi VVittembergenses, in dilucida explicatione controversiæ inter ipsos atque Huberum motæ: *non possumus non*, inquit, *in subsidium laborantis veritatis admonere, quid periculi subsit sub hoc NOVO LOQUENDI GENERE*. Theologi item VVürtembergici epist. ad VVitteb. Part. I. Act. Hub. p. 55. *In eâ sumus persuasione, Huberum in verbis magis, quam revera à nobis dissentire*. Utraque quippe disputantium pars Calvinianorum in hoc articulo errores manibus pedibusque à se amoliebatur: utraque amari omnes singulosque homines à DEO, singulisque media credendi, quantum in DEO est, subministrari, & tamen non omnes vitæ libro inscribi aut à DEO salvari contendebat. Sed nec hoc negari ab Huberi adversariis poterat: non refragari electionis vocabulo, in se considerato, si dicantur omnes homines præ Angelis malis, quos rejecit DEUS & gratia sua judicavit indignos, electi esse, ut misericordiæ suæ, si id paterentur ipsi, fierent participes; (quam electionem generalem vocare queas) aut fideles omnes præ magno infidelium numero electos esse, ut, si in fide perseverarent, salutis fierent participes; (quam electionem specialem appelles) aut denique solos ad finem usque vitæ credentes ex omnium reliquorum grege electos esse, ut salutem quondam actu ipso adirent; (quam electionem specialissimam vocare possis.) Quinimò si abstrahendo ab usu vocis grammatico solius Scripturæ acceptionem attendamus, electum nonnunquam idem esse, ac quemvis præ alio dilectum, qui ut ex dilectione sua culpa, sic ex electionis gratia excidere iterum

possit; aliquando verò eum tantum, qui cum perseveranter causam se diligendi suppeditet, perseveranter etiam diligatur, id est, salvetur, dubitandum non est. Illam nihil impedit electionem vocari generalius, hanc specialius sumptam: eo prorsus modo, quo & inscriptionem in librum vitæ, aliquando laxius accipi, pro eo, qui propter fidem præsentem gratiæ quidem libro inseritur, sed ob amissam alio tempore fidem ex eodem iterum deletur; aliquando strictius pro eo, qui propter fidem perseverantem gratiæ libro, nunquam ex eo delendus, inscribitur, singulari exercitatione accuratè disputavit venerandus Doctor meus, *Sebast. Smidius*. Quod cum ita sit, hoc tantum controversiæ remanet: utrum, quoties de electionis ad æternam salutem decreto in Sacris agitur, aut electi vox de electis ad salutem usurpatur, in pressiori atque specialiori accipiatur significatu, an laxiori? In cujus quæstionis discussione quamquam Huberus haud simplici modo erraverit, utpote cum toties distinctionem inter *ἐκλεκτός* & *ἐκλεκτός ῥήσος* sine omni fundamento inculcavit, cum electionem aliquam sine omni electorum ab aliis separatione suo arbitrato confinxit, & si quid ejusmodi est; ultrò tamen patet, quicquid horum asseras, negesve, ex eo rei ipsi in se nihil decedere, adeoque litem tantummodo de vocabulis esse.

Ut autem *λογομαχίαι* in *συβρίξοις* ipsarum rerum litigantium pertinacia facile degenerant: ita laudanda genuinorum Theologorum sollicitudo & industria fuit, quod insolentiam periculose phræscos maturè castigare & auctorem reducere ad meliorem mentem voluerint. Erant Huberianæ loquendi formulæ ab usu S. Scripturæ alienæ. Non conveniebant cum vulgari-  
bus vocum acceptionibus. Nunquam fuerant hæcenus in Ecclesia auditæ. Adversariis illudendi nobis ansam subministrabant. Poterant viam parare ad ipsorum dogmatum vel subversionem vel depravationem. Id igitur tolerandum non erat. Verè Hutterus, *epist. XLVIII. Confessio Huberi certè mensuri ali-*  
*quid*

quid alit & ad movendas in Ecclesiâ turbas præclaras occasiones suppeditat. Verè Val. Schachtius, epist. LXIV. Huberi scriptum contra D. Egidium Hunnium, ejusque socios, procul dubio quamplurimos turbavit & tamen veritas salva erit. Quod & eventus comprobavit; Hubero exilii malis ad id furoris adacto, ut orthodoxis Theologis, eò quod amasiam istam universalis electionis exofculari nollent, nescio quas hærefes, quæ scelera, sine fronte, sine pudore, homo temerarius viris de Ecclesia solidè meritis, impropèraret. In confutatione sua, spiritum Calvinianum, alluviem Calvinianam, Calvinianam lepram, ad nauseam usq; objectat, & quæcunq; contra ipsum ab Hunnio & collegis doceantur, singulari capite quindicies, totidem nempe dogmatum momenta signans, repetit: *Calvinianum hoc esse, intrepidè pronunciamus.* Libello, cui titulum fecit: *Warnung wider D. Osianders Predigt von der Gnadenwahl* / electionem particularem vocat *eine verzweiffelte Stumpelwahl.* Tractatu alio, kurze Erinnerung dicto, scribit: *Es wären auch die Calvinisten in ihrem Unlust und Gestanck allbereit erstickt/ wann sie auß unserm Mittel auffgeblassene/ ehrsüchtige und neidige Theologen nicht hätten zu beschützen bekommen/ welche ihnen wiederumb haben das Labwasser eingeschüttet und den Danck darvon bekommen/ das die Calvinisten in Schriften und Predigten öffentlich rühmen und Gott dancken/ das in etlichen fürnehmsten Streit-puncten/ (wie auch wahr ist) diese unsere Theologi zu ihnen getreten seynd.* Paulò post librum evulgavit, hac inscriptione notatum: *Nothwendige Entdeckung/ wie D. Lucas Osiander in seiner Predigt von der Gnadenwahl die verzweiffelte Calvinische Lehre versteckt/ mit fürsatz/ dieselbige in die reine Christliche Kirchen in Würtemberg und sonst allenthalben einzuschmeichlen.* Quidam Casparus Hirschius, (de quo D. Luc. Osiand. in dem Gründl. Ber. contr. Hub. p. 16.) ut ex Epist. XXV. Part. VII. patet, Egidium Hunnium post mortem quoque convitiis laceravit, atque ex

eius obitu causæ suæ bonitatem, jactatâ longævitate sua, firmavit Huberus. Vix fidem inveniet apud posteros, quantis infectionibus utraque pars scripta sua repleverit, quo furore in alterutrum fuerint debacchati, in quod incendium verbalis hæc scintilla excreverit? Isthæc nempe certamina non necessariorum sunt commoda, isti animorum militarium, iram, bellum, prælia potius, quam modestiam Theologicam & salutarem inter Christianos pacem, spirantium fructus.

Erat in certamine isto una omnium Theologorum contra Huberum sententia: objectum electionis, ad gloriam, qua illa reprobationi opponitur, si Scripturæ usum respiciamus, esse solos homines, finaliter credentes, nec, quoad Scripturæ phrasin, inter electos laxius & strictius dictos distingui posse. Theologi VVittebergici in der Gründlichen Widerlegung Huberi, Part. I. p. 12. daß **GOTT** von Ewigkeit nicht alle Menschen ohne unterschied zum ewigen Leben erwehlet habe/ sondern allein die/ so an Christum glauben und in wahren Glauben bis an ihr End verharren / beweisen wir mit denen klaren und hellen Worten der Schrift. Nec ab hæc doctrinâ Theologi VVürttembergici tum erant alieni. Illi enim in Epistolâ ad Huberum scriptâ, die sexto Decembr. Anno MDXCIII. quæ in Actorum Huberianorum parte priore extat, p. 38. *Multò latius patet universalis DEI dilectio, quâ filium suum posuit propitiatorium pro totius mundi peccatis, quam ipsius electio, quâ non nisi credentes & (voce majusculis literis expressâ) PERSEVERANTER quidem credentes in Christo elegit.* Subscripsere Jac. Heerbrandus, Steph. Gerlachius, Matth. Haffenreffer, Jo. Magirus, Luc. Ofiander, VVilh. Holder, Andr. Ofiander & Fel. Bidembachius. Nec etiam aliam electionis distinctionem admiserunt, quam æquivocam, id est, eam, quæ est inter electionem generalem, (qualem nempe Scriptura ignorat, quæque in cerebro Huberiano nata erat) & specialem atque propriè sic dictam, quam unicè Scriptura commendat, eorum scilicet, qui in fide perseverant.

De

De quâ in epist. ad Huberum. 24. Maij MDXCIV. Part. I. Act. p. 266. die *H. Schrift redet lauter von einer solchen Election, die propriè allein die außerswehite Kinder Gottes angehet, die GOTT ewig selig machen wird.* Non itaque admiserunt, Scripturam electionem aliam laxiori sensu, pro credentium electione, aliam strictiori, pro perseverantium electione, accipere: sed omnem electionem in generalem, eamque falsam, ab Hubero defensam, & specialem, eamque veram, à Scripturâ prædicatam, finaliter nempe perseverantium, seu eorum, qui actu salutem adipiscuntur, diviserunt. Cum verò in describendo electionis objecto nonnunquam solius fidei mentionem, præteritâ silentio perseverantiâ, faciunt, fidem electioni necessario includere, hocque ipso acriter contradicere Hubero, non excludere perseverantiam, de qua quæstio inter illos & Huberum nulla fuerat, voluerunt. Quare iidem Theologi in colloquio cum Hubero Ratisbonensi, ad primam Huberi thesin, quæ hæc erat: *Eligere actio est voluntatis & beneplaciti DEI, quo per filium suum, qui nos omnes morte suâ redemit, omnes quoq; destinat & elegit à morte ad vitam:* hanc in Actis p. 267. notâ apponunt: *At Scriptura & Formula Concordia eos duntaxat electos pronunciat, qui redemptionis gratiam verâ fide apprehendant & in verâ fide ex hac vitâ decedunt.* Idem postea repetitur, p. 303. Scripturam docere, eos tantum esse destinatos ad vitam, *qui perseveranter in Christum credunt.* D. Steph. Gerlachius, Disputatione de aterna salvandorum electione, iisdem Actis inserta, Part. II. p. 231. *Electionis vocabulo hic eo significatu utimur, quo D. Paulus, ut aeternum illud decretum de penitentiam agentibus, inque fide perseverantibus aeternum salvandis denotet.* Aliam electionem, in Scriptura prædicatam, sive omnium credentium, sive laxius sive strictius dictam appelles, profus ignorat.

Remonstrantes in Belgio, in declaratione primi articuli de Prædestinatione, in Actis Herdervici impressis, p. 7. nova & antea id


te id tempus, insolita loquendi forma distinguunt inter electionem peremptoriam & non peremptoriam, atque hanc vocant eorum, qui revera quidem in Jesum Christum credunt, sed à fide illa vera, vel secundis rebus deliniti, vel adversis fracti, vel spe vel metu abducti, deficiunt & in defectione illa moriuntur; illam verò eorum, qui in fide illa ad finem usque vitæ perseverant, aut saltem, si ab ea deficiant, singulari quodam gratiæ Divinæ beneficio revocati, in fide restaurantur & ad frugem redeunt & tandem in eadem moriuntur ac vitam hanc finiunt. Quam sententiam his verbis proponunt: *fatemur non illubentes, eos, qui ad tempus verà fide credunt, pro isto tempore in gratiâ esse & proinde non minori jure electos dici posse, quam justificados, ablutos & vitæ aternæ participes; quia videlicet in statu illo sunt, in quo si perseverarent, revera aternam gloriam & felicitatem consecuturi essent.* Hanc Arminianorum distinctionem Calviniani iisdem terminis, quibus nostrarum quoque partium hodie nonnulli utuntur, enunciant, non peremptoriam electionem *generalem* vocantes, peremptoriam *particularem*, atque contra eandem disputant Hassii; Act. Syn. Dord. ex parte Calv. p. 527. f. Atque ita quoque vocem electionis in Scriptura capi sequenti ratione probare conantur Remonstrantes, l. c. *Ob hanc causam Apostolus II. Tim. II, 10. sese omnia sustinere asserit propter electos, ( id est, fideles ) ut & ipsi salutem consequantur; id est, ne per ipsum ullo modo stet, quo minus illi officij sui accuratam rationem habere pergant, & sic à salute aternâ, cujus jam per fidem aliquatenus participes facti erant, excidant. Quod ipsum etiam ex eo satis clarè confirmatur, quod ij, qui vocationi Divina paruerunt, electi dicantur, cum tamen à fide suâ deficere possint & ut ne deficiant, seriis monitionibus & dehortationibus à DEO extimulentur, immò non rarò deficiant. Unde etiam ab Apostolo Petro electionem suam firmam facere fideles monentur. Qua admonitione scilicet opus non esset, si infirma fieri seu irrita reddi ex hominis parte electio non posset. Quemadmodum frustranea esset admonitio, si cohortari ange-*  
lum in



lum in bono confirmatum velles, ut conditionem suam, quæ immutabilis est, certam firmamque reddat. In simili argumentantur Theologi: Paulus jubet, ut Ecclesia Romana sibi caveat, ne excindatur: Ergo excindi & deficere utique potest.

Si quis tamen persuasus sit, electionis vocem usu Scripturæ ad omnes credentes non extendi, sed constringi ad finaliter tantum credentes, is erroris non potest aliis argumentis convinci, nisi ut in rem præsentem eundo testimonia seu loca Scripturæ laxius accipere vocem demonstret. Quemadmodum & priorem fœventi sententiam necessariò est faciendum. Cumque hæc controversia tota nominalis sit, frustra est, quicumque alterutrius sententiæ objectat: eam vel errorem in dogmate ipso committere, vel ex eadem quidquam, quod huic dogmati in se adversetur, legitimè consequi, vel denique eandem impingere in usus Theologicos, eosque labefactare. Qui verò præterea alteri ex diversa vocis acceptione vel Calvinismum, vel cum Calvinianis conspirationem, aut ad Calvinianos accessionem odiosè imputat, is animum prodit à pace Ecclesiastica alienum & more Huberi cum larvis luctando fluctus in sinapulo excitat & lites serit in Ecclesia non necessarios.

Denique in controversiis PONTIFICIIS atque CALVINIANIS plurima occurrunt, quorum partim in precedenti capite facta est mentio, partim de iis in sequenti aliquid dicetur. Nec prolixiorum eorundem tractationem instantes nundinæ permittunt.



PRUDENTIA CONSERVANDÆ ET  
PROPAGANDÆ ECCLESIAE, IN HIS EPI-  
STOLIS APPARENTE.

CUM prudentia, qua vel Ecclesia, ubi antea nunquam fuerat, excitatur, vel excitata in statu felici & beato conservatur, vel conservata majoribus incrementis dilatatur, aut eos respiciat, qui Ecclesiae praesunt, ejusque curam gerunt, Imperatores, Reges, Principes; aut eos, qui functionibus & officiis publicis Ecclesiae salutem promovent, Episcopos, Doctores, Pastores: & verò Epistolae nostrae non inter summos Ecclesiarum praesides, sed earum tantum in variis functionibus curatores & administratos versentur, ultrò patet, eam tantum hic nobis prudentiam respiciendam esse, quâ, qui docendi in Ecclesia officio defunguntur, conservationi ac propagationi ejus summo studio ac vigilantia incumbunt.

Isthaec prudentia duobus innititur fulcris, per quae vim suam exerit atque virtutem, eruditione & pietatis exemplo. Nec enim sine eruditione vel doceri Ecclesia, vel refutari errores, vel lucriferi veritatis inimici possunt: nec sine morum sanctitate ad vitam secundum normam legis Divinae agenda probitatem Ecclesiae cives traduci. Utrumque verò ubi conjunxeris, haud mediocriter Ecclesiae salutem promovebis. Ubi duo ista *co-acta*, ut loquuntur, & non exiguo perfectionis gradu in uno Ecclesiae doctore concutunt, magnae id in felicitatis parte merito deputatur. Sed infirmitas, quae rebus omnibus humanis adhærescit, neque semper eam beatitudinem neque ubique admittit. Quare res Ecclesiae suae ita sapienter dispensavit Divina providentia, ut quod in unum conferri rerum humanarum imperfectio negasset, in diversos collocaretur. Ipsa eruditio

diver-

diversis & diversis momentis vitæ sanctitas absolvitur, quæ divisa in pluribus, quorum curæ Ecclesia commissa est, copulata verò in ipsa Ecclesia cernuntur. Virtutes Ecclesiæ conservandæ augendæque necessariæ sunt, quas in uno Ecclesiæ ministro simul reperiri nihil repugnat, sed ordinariè tamen in totum corpus, ejusque membra separatim, diffunduntur.

Vitæ innocentia Ecclesiæ doctori tam necessaria est, quam quæ maximè. *Doctrina enim*, ait de Chrysofomo loquens *Sòzomenus*, lib. IIX. Hist. Eccl. c. II. *factis ornata, fide digna merito videtur; quæ ubi absit, palam fit, eum, qui docet, irrisorem esse & suam propriam doctrinam falsitatis arguere, utut in docendo dexteritatem suam probet.* Quæ verò ipsa tam foecunda est, ut in omne virtutum genus excrescat, quo vel subjectionem nostram DEO, vel officium homini, in eadem Ecclesiæ societate nobiscum constituto, exhibemus. Quanta micat pectoris DEO devoti pietas ex epistolis Fagii atque Buceri? Quanta in adversis patientiæ ex epistolis Philippi, itemque Hombergeri? Quanta summæ charitatis ac humanitatis ex epistolis Sulceri? Quid Christianæ moderationis non spirant epistolæ Chytræi atque Chemnitii? Quid non admirandæ in officio industriæ epistolæ Jacobi Andreæ & Johannis Pappi? Quid non stupendi in religione fervoris & indefessi in servos DEI affectus epistolæ Venningeri, Ungnadii, Kõterizii? *Bonitatem pietatemque Jacobi Andreæ* laudat Sulcerus. epist. LXXXVI. Part. IV. *Incorruptum circa religionem judicium & pientissimum pro DEI domo zelum Joh. Pappi, idem Sulcerus*, epist. LXXXIX. *Hospitalitatem*, etiam ingratum lubenti animo præstitam, in Marbachio Jacobus Andreæ. epist. LXVII. Quanta ista, rogo te, *mansuetudo* est, quam adversus malitiosum famæ suæ detractorem exercet Sulcerus, epist. LXI. Part. III. Bile alius efferbuisset, ut nec verba habuisset, nec gestus in potestate amplius sua. At Sulcerus, Salvatoris sui exemplum imitatus: *quam ex vero hoc fecerit*, ait, *norunt omnes, qui doctrinam professionemque meam pu-*

*blicè privatimque audiunt. Condonet ei Dominus hanc lingua petulantiam, largiaturque mentem meliorem! Quanta laborum constantia in Petro Patiente? Quantum pacis & concordia studium in Davide Chytræo? Quantum in omnibus singulisque vitiorum odium & rixarum Theologo indignarum detestatio? Verum est, quod Ambrosius scribit, lib. X. Epist. LXXXII. Quis ferat, si ipse se gubernare nequeat, qui alios gubernandos receperit? Debet preponderare vita sacerdotis, sicut preponderat gratia. Nam qui alios præceptis suis ligat, debet ipse legitima præcepta in se custodire.*

Ubi verò sancta & inculcata est doctorum vita, fieri nequit, quin ejus virtute plurimi vel infidelitati vel erroribus dediti ad veritatem, fortius ipsa doctrinae disseminatione, allecti commoveantur. Quare superiore seculo, ubi pastorum Ecclesie vita simplicior sanctiorque, cleri contra Romani dissolutior, omnibusque invisa, fuerat, longè majore, quam hodie, quando plerique è Theologis in Politicos degeneravimus, nec ecclesie amplius DEI causa, sed corrogandi auri gratia servimus, accessione locupletata passim est ecclesia: cum hodie, quod feriis lacrymis & gemitibus deplorandum, in antiquum tenebrarum chaos non minore, quam olim ad veritatis lucem assurtexerat, successu relabatur. Idem fatum veteris ecclesie fuit. Quantum enim primis & sanctioribus seculis religio Christiana & fides catholica profecit, tantum decrevit avo posteriori, ubi nemo poterat, nisi de luxu, de superbia, de tyrannide, de avaritia, de lascivia, & sceleribus aliis, quibus se ubique commacularunt clerici, conqueri. Ubi cum doctrinae sobrietate puritatem vitæ conjungis, credunt auditores, te non ex artificio aut nuda ingenii dexteritate sensum attribuere Scripturae velle, sed ita explicare, ut rei veritas postulat. Ideò de Monachis Ægyptiis Sozomenus, libr. IV. Hist. Eccl. c. IX. Eorum, inquit, sententiam populus sequebatur, rejecto nempe Arianismo, & testimoniis eorum vera esse judicabat, eò quod virtutem assidue colerent & vè-

ta puritati ac sanctitati sese totos dederent. De Gregorio verò Nazianzeno, ad Ecclesiam Constantinopolitanam regendam vocato, sed falsorum fratrum arrogantia iterum pulso, *Ruffinus* testatur, libro II. Hist. Eccl. c. IX. quod brevi illo tempore, quo regie urbi præfuit, tantum ad emendandum populum, vetustis hereticorum venenis infectum, profecerit, ut tunc primum Christiani sibi fieri viderentur & novellam lucem veritatis adspicere, cum religionis doctor multa quidem verbis, plura tamen doceret exemplis, nec viderent ab eo discipulis aliquid imperari, quod non prius ipse fecisset.

Vitæ tamen sanctitatem comitari perpetuò debet solida rerum sacrarum & exacta ad amussim verbi Divini eruditio. Nam sine hac illa brevi tempore in meram superstitionem degenerat, ut medii ævi Ecclesia, indoctis ubique & nescio quam sanctimoniam affectantibus monachis repleta, suo exemplo abundè docuit. Vera eruditio postquam operâ Erasmi Roterodami, Philippi Melanthonis & Martini Lutheri erigere è caligine caput occœpit, quanta illico veritati toto terrarum orbe lux oborta est? Nec id iterum caruit primitivæ Ecclesiæ exemplo. Floruerat primis seculis summum variæ eruditionis studium, in quo quantum Ecclesiæ doctores ad res sacras præsidii atque ornamenti attuletint, non reticent Christianorum annales. Eo beneficio Christianismus ita crevit, ut gentilibus & Judæis brevissimo interjecto tempore timendus stupendusque fieret. Illa tibi decrevit, fracta est & Ecclesiæ majestas & religio à pristino nitore remisit.

Insinuat verò sese eruditio atque veritatem vel illustrat vel promovet, duobus utens subsidiis atque instrumentis: severitate, quæ à Theologis græco vocabulo zelus vocari consuevit, & lenitate seu moderatione. Quæ duo quamquam adversa inter se fronte pugnare videantur, ex sequentibus tamen patebit, prudentem harum virtutum dispensationem ingens propagandæ Ecclesiæ momentum adferre.

Severitas seu zelus affectus est serius & flagrantissimus, quo religionem prosequimur, eamque magno desiderio, conatu, nisuque adversus omnis generis hæreticos cupimus promotam. Quam qui à prudentia separat, ignaviam, profanitatem, impietatem, & perfidiam suam prodit, quam homines tepidi & pseudo-Theologi isto prætextu tegunt. Ille conservandæ defendendæque fidei zelus nisi fuisset, nullos habuisset Ecclesia unquam martyres, nullos nacta esse veritatis testes. Quis enim exilia, quis fustigationes, quis mortes perpeteretur, si necessarius non esset veræ religionis infucatus amor & propagandæ in Ecclesiâ intemeratæ veritatis studium? Tolle zelum, quo animo, quave fortitudine mala ob religionem tibi inflicta, ignominiam, cruciatum, mortem, propriæque carnis tuæ suggestiones vel sustinere poteris vel superare? Præclarè *Theodoretus*, IV. Hist. Eccl. c. XVI. *Animus Divino Zelo astuans nullum humanum timorem admittit, sed ejusmodi terriculamenta deridet & pro puerili lusu habet.* Ubi zelus non est, veritatis hostes brevi de religione triumphum agunt. Cum enim vident, veritatis professores scutum abjicere & timore fractos aufugere, jam victoriâ sunt potiti; at si severos experiantur suæ causæ vindices, pudore suffusi victoriam ipsis invident & de persecutione remittunt. Cujus rei memorabile exemplum in Interimistica religione, sola genuinorum Theologorum severitate & constantia repressa, superiore seculo habuimus. Ubi exulat zelus, nec doctores officii sui esse durunt, veritatem omni cura studioque tueri, propugnare ac strenuè defendere, hæretici Ecclesiam, nemine refragante, invadunt & occupant. Ubi verò zelo munitum pectus est, lupi ab ovili arcantur & hostibus occupandi ecclesiam aditus præcluditur.

Non alia virtute magis atque efficacius veteres, *ut videtur* nempe *Zelotes*, ut Apostolus ait, ecclesiam aut conservarunt in statu florente, aut pomœria ejus dilatarunt, exemplo Salvatoris sui, qui de seipso dixit, *Zelus domus tuæ exedit me.* De secundi

cundi seculi doctoribus Eusebius, libro IV. Hist. Eccl. c. XXIII. Erant, ait, tum heretici, qui in morem Zizaniorum sinceram Apostolica doctrina sementem viciarunt, quos Ecclesiarum pastores, tanquam feroces quasdam bestias, undique ab ovibus Christi repulso excluserunt, cum admonitionibus & adhortationibus ad fratres, tum ipsos hereticos propius aggressi, ac quaestionibus nugarumque illorum subversionibus in faciem absque scripto objectis, nonnunquam & scriptis commentariis opiniones eorum per elenchos accuratissime redarguentes. Id quod tanta animi confidentiâ, tanto fervore fecerunt, ut nullis se â proposito periculis, non convitiis, non exiliis, non morte ipsa paterentur deterreri. In bello isto ecclesiae gravissimo, quod Ariani ei intulerant, quis Alexandro, Alexandriae Episcopo, minis Eusebii terro: ni Arium in communionem reciperet, effecturum se, ut Episcopatu deiceretur; animus? Non tam sollicitus erat de reiectione sui & privatione episcopatus, quam metuebat, ne veritas Divina everteretur istorum hominum operâ ac versutiâ. Apud Socratem lib. I. Hist. Eccl. c. XXV. Quis Eustachio, Antiocheno Episcopo, illi τῆς ἀληθείας, ut eum vocat Theodoretus, αἰσχροῦ? Calumniis sese opprimi, episcopatu exui, inque exilium se mitri passus est. Quis Athanasio, μεγίστη πόρρω τῆς ἀληθείας, qui nunquam destitit, adversariis suis ὀκνηροῦς ἰσχυροῦς obstruere? A veritatis quidem defensoribus laudem magnam consecutus est: at apud hostes orthodoxa doctrina, tanquam eorum ex professo adversarius, in grave odium ac planè capitale incurrit. Apud Theodoretum, lib. I. Hist. Eccl. c. XXI. Quis Basilio? Quis Chrysostomo? Cujus severitas non potuit ullis Imperatoris minis, ullis exiliis & persecutionibus frangi. Sed commentarium ad omnem veterum historiam scriberem, si singulorum Ecclesiae doctorum in rebus sacris amulationem, ubique recensitam, ubique predicatam, commemorare instituerem.

Plurimos equidem non è secularibus tantum, quorum hic communis & penè desperatus est morbus, sed ex ecclesiasticis quoque

quoque hæc occupat opinio, non esse animal vel reip. vel ecclesie magis noxium, quam Theologum zelotam, id est, ut ipsi interpretantur, rixosum, pertinacem, jurgis & contentionibus deditum, ferendis turbis, tumultibus, seditionibus natum. Dignum hoc hominum genus esse, quod ad Garamantas usque & populos naturæ impetu pugnaces, ut convellere concordiam pacemque vel civilem vel sacram desinat, relegetur. Quamquam verò & optima quælibet excessibus obnoxia esse sciamus, neque laudem inamoderatam, nulloque prudentiæ sale, sicut postea dicemus, temperatam severitatem, longè tamen diversum fuit veterum de genuino Theologorum zelo judicium, idque rationibus & plurimis & gravissimis subnixum. Nam illi mollitiem ecclesiasticorum delicatam, quæ severam gravemque primorum doctorum vitam insequabatur, divinam dixerunt pededentim ultionem concitasse, ut ecclesie simul atque resp. ab antiqua majestate deturbatæ intestinis discordiis & detestabili ambitione perirent. Locus eam in rem egregius est apud *Eusebium*, lib. VIII. Hist. Eccl. cap. I. Vicissim Imperatorum maximus, *Constantinus*, seriam rerum sacrarum curam & intemeratam atque errori cedere nesciam veritatis defensionem fontem civilis felicitatis esse professus est. Nam in epistola ad *Æmiliium* de episcopis & Ecclesie doctoribus loquens: *ubi DEUM*, inquit, *summo honore prosequuntur, plurimum reip. prodesse videntur.*

Illa veterum severitas non ad dogmatum tantum sanctissimam custodiam, sed ad formularum etiam loquendi sobrietatem sese extendit. Nec enim innoyatione duntaxat ipsorum dogmatum cœlestis veritatis depositum concutitur, ecclesieque unitas labefactatur, sed ad doctrinæ corruptionem novarum & ab ecclesia non receptorum aut approbatarum phrasium introductione via paratur. *Sapenumero*, ait *Evagrius*, lib. I. Hist. Eccl. c. I. *suâ ipsius involutus malitiâ Sathanas unicam literulam ad ipsam sententiam invertendam immutare solitus est*; ut nempe,  
 ceu



ceu idem ait, *mentem à linguâ separaret, ut ne hac duo uno velus consensu DEO confessionem & laudem atque honorem debitum deferrent.* Quâ in re quam sollicitè vigilaverint veteres, quaque severitate novarum formularum inventoribus obviam iverint, eosque ad usum ecclesiæ, Sacra Scripturæ conformem, revocaverint, pertinacibus verò earum defensoribus ne latum quidem unguem cesserint, certamina Ariana atque Nestoriana documento sunt. Et memorabilis est Athanasii atque cæterorum, quos convocaverat, episcoporum in epistola Synodica ad Imperatorem, novam fidei formulam, pacis inter catholicos & Arianos conciliandæ causa, conscribi jubentem, sollicitatio: *Huic fidei*, inquit, Niceno nempe Symbolo, quod ad verbum descripserant, comprehensæ, *piissime Imperator, necessum est constanter adherere, tanquam Divina & Apostolica, & nequaquam eam mutare,* *π.σ. αναλογιαις ηχι λογιμοτατοις. probabilitate sermonis & contentionibus verborum.* Apud Theodoretum, libro II. Hist. Eccl. c. XXIII.

Hæc idè uberiùs atque fusiùs adduxi, ut pateret, nihil contra exemplum veteris atque purioris ecclesiæ fecisse primarios à tempore reformationis nostrarum partium Theologos, cum pari zelo, pari alacritate, pari, si ita dicere licet, contumaciâ, tuendæ veritati & dilatandæ ecclesiæ suæ, indefessam posuerunt operam. Novi, quam invisi & olim fuerint & hodie sùnt apud plurimos, non Principes tantum, sed & Theologos, morosi isti & rigorosi doctores, qui Melanthonianam moderationem & sectariorum ejus teporem ferre non poterant. Scio, quid multi dicturi sint, cum severas, & ut ipsi interpretantur sunt, contumeliosas & probrosas maledictis atque convitiis secatentes epistolas in opere nostro legerint. Has aeterno exilio multandas, has igni rogoque addicendas asseverabunt, quippe materiam gravioribus inimicitiiis, quibus, quæ amicæ inter se esse poterant, ecclesiæ hostiliter colliduntur, daturas. Alii moderationem in editore se majorem sperasse dicent, alii prudentiam

dentiam & circumspeditionem, hoc praesertim tempore, quo de religione verè dicere, ob adversariorum potentiam, periculo non careat, requirent. Non deerunt forte, qui lapidibus eundem obruent, quodque non suppresserit noxias publico bono quorundam epistolas, nescio quam dicam eidem scribent.

In epistolis nostris aliquoties integrorum coetuum admiranda in complectenda & defensanda religione alacritas praedicatur. Utque caetera exempla brevitatis studio taceamus, quantus iste est animorum ardor, quem in Gallis Cisalpinis *Simon Sulcerus* observat, epist. xxxvii. Part. II. Fuerant in vallibus istis multa hominum millia, qui evangelium palam profitebantur. Illi sub gravissimis persecutionibus & necibus quotidianis certis tamen temporibus conveniebant, ad audiendum verbum, precesque reformato more peragendas. Excrevit fidelium numerus ad undecim hominum millia, sexque millia fuerunt eorum, qui uno tempore Sacrae Coenae epulo se recrearunt. Quorum omnium tanta in conservando doctrinae salutaris deposito constantia erat, ut cum ex Senatu Taurinensi, qui conventus istos, partim usi blanditiis & pollicitationibus, partim adhibitis minis & suppliciis, dissolverent, atque eosdem à recta via ad veterem conscientiarum torturam abducerent, mitterentur, nihil profus efficeretur. *Nam ne unus quidem inventus, ait Sulcerus, non muliercula, non pueri, qui non responderint, sese extremae quaque potius pati esse paratos, quam ut à Christo Servatore suo deficiant.* Atque hanc pertinaciam suam ita ait placuisse Deo, ut eorum quieti non parum consuluerit, in adversariorum primoribus clancularios suffragatores excitando. Quo pacto nempe muliercula ista Edessena, ut narrant *Socrates, Theodoretus*, atque *Sozomenus*, Modesto, Praefecto, ex Valentis mandato, cum magna militum copia ad ecclesiam, ut gregem collectum dilaniaret, tendente, filiolum manu secum trahens, quâ potuit, contentione properavit atque increpanti Praefecto, quod in proprium impetu ruat exitium, respondit: *audiui de laniena, quam ecclesia*

inter-

intentatis, & propterea festino, desiderans eadem cum cæteris una subire. Quo zelo truculentum Imperatoris animum inflexit, ut à conatu sanguinolento desisteret. Hic mentis Christianæ fervor si in integris cœtibus laudem applausumque nostrum meretur, cur reprehendi, cur suggillari, cur odio & hostilibus telis imperi in ecclesiæ ministro debeat, qui, quod cæteri rectè faciunt, quoniam omnibus exemplo eundem esse oportet, longè perfectiori ratione facere debere ex se intelligitur?

Idem flagrantissimi in religionem & pietatem amoris æstus exarferat in generosis ex ordine politico pectoribus virorum, supra omnem laudem positorum, *Jo. Ungnadij, Erasmi Venningij, & Gvolfgangi Köveritij*. Qua industria, quo fervore, quamque immensis sumptibus, Turcarum, finitimorumque populorum salutem promoturus, sanctissimæ Scripturæ libros in vernaculam ipsi linguam converti, typis imprimi, & in regiones istas barbaras, àque Christianismo alienas, importari curaverit, *Jo. Ungnadius*, aperit epistola LXXIII. Part. II. Ex qua ipsa & zelus elucefcit, quo in Pontificiarum superstitionum patronos & defecata à fuco religionis calumniatores, quos *Diaboli servos* phrafi Christo & sacris scriptoribus usitata vocat, ferebatur. Quanta in ista & epist. XVII. Part. III. pietas! Quantus in Christum & Christi ministros amor! Quanta animi ubique ebullientis devotio! Qualem in ejus ordinis viris, si ad ultimam usque Thulen hodie profectus fueris, frigescente ut caritate, ita & fide, nunquam facile amplius repereris. Laudat hunc generosi animi ardorem, alienus à religionis, quam Ungnadius sectabatur, instituto *Thuanus*; & nos hodie suppressas ejus epistolas, vivas tanti miraculi testes, optemus? Optent hoc frigidi rerum sacraram adulteratores potius, quam tractatores. Nobis carior veritatis æstimatio & veneratio religiosior virtutum à Deo præceptorum, Deoque intimè conjungentium, atque idcò a veris Christianis enixè semper amatarum, esse meritò debet.

*Erasmi Venningij* epistolæ nonnunquam intemperantius in-

sectari Calviniani nominis doctores videbuntur. Non diffiteor, me excessum istum, si ita appellare eundem libuerit, non facile in quoquam hodie approbaturum esse. Sed detur aliquid seculi genio & temporum istorum considerationi. In principis divulsionum ecclesiasticarum majore impetu & vehementia scribentium animos obsideri, omnium atatum historiae docent. Tu recole, quo calamo Lutherus, etiam in magni nominis adversarios, quo hi ipsi in eundem scripserint? Nec in veteris ecclesiae controversiis ab incontinentia ista sanctissimos de cœtero viros sibi temperasse, vel solius Hieronymi, Rufinum persecutis, exemplo aliquoties in epistolis ostendit Erasmus. Si laudem non ubique meretur Venningii stilus, encomium certe merebitur sanctissimus viri & unicè inflammatus in gloriam Dei zelus. Erat in aulam & curiam Lutherani Electoris adscitus Venningius & arcanorum Principis consiliorum conscius. Cui hominum generi post Principem ipsum magis convenit, affectu, cura, studio religionis sinceritatem vel complecti vel promovere? Cum Hero suo studens reformatorum partibus Princeps succederet, quis bonus à ministro, ut spreto conscientiae suae dictatu, desertâ, quam animo approbabat, religione, cœco impetu in Domini religionem concederet, requireret? Jamdiu est, cum Ecebolum, eloquentiae apud Constantinopolitanos professorem, qui se Imperatorum ingeniis conformans, Constantii quidem tempore præ se ferebat ingentem religionis Christianae amorem, sub Juliano autem acrem in paganismo se ostendit, genuini morum censores ad orcum damnarunt. Constantii Chlorig, Imperatoris ethnici exemplum, animos suorum, factâ religionem mutantibus grandi promissione, explorantis, sed leves atque inconstantes expellentis, iisque ingeminantis: *quomodo fidem erga Imperatorem poterunt servare inviolatam, qui adversus DEUM, qui præstantior Imperatore est, perfidi & ingrati sunt?* Eusebius atque Sozoménus recensent. Quod ipsum & naturalirationi conforme esse, Themistius Philosophus agnovit,

vit, qui in oratione, quam sermonem consulare inſcripſit: *manifeſtum eſt, ait, tales homines, qui ſe Principis religioni accommodant, non DEUM, ſed purpuram colere, & ſimillimos eſſe Euripo, modo in hanc modo in contrariam partem curſum ſuum mutant.* Apud Socratem, lib. III. Hiſt. Eccl. cap. I. Si laudabile in Venningio fuit, ſub Lutherano Principe religioni Lutheranæ exquisitiſſimo affectu addiſtum eſſe, eamque, quâ fieri poterat, curâ, fervore, conatu provehere; quomodo illaudabile eſſe poteſt, hunc animum ſub Principe Reformato retinere? Quis Calvinianorum miniſtrorum, tranſeunte Principe ſuo ad Lutheranorum partes, non conabitur omni ſudore, contentione, aſſiduitate, Principem ipſum à propoſito revocare? Quis non aggrediendos ſibi omnium maximè Theologos, animum ejus occupantes, putabit, ut ſcopo ſuo feliciter potiatur? Poſſent hæc ex illa ipſa eccleſia, in qua tum fuerat Venningius, exemplis comprobari, ſi candelam vellem in ſummo meridie accendere. Condonetur itaque Venningio, quod in aliis velexuſatur vel probatur, neque in innocentes poſt mortem ſavia- tur epiſtolas. Nefas autem nobis ſit, avellere ab ipſo noſtro opere id, quod in magno Electoris miniſtro animum arguit, tam ſeriò in Deum intentum, aliisque in pari ſaſtigio poſitis exemplum, quod ſequantur, non imitando, in quo exceſſerat, ſed faciendo id, in quo omnium bonorum ſuffragatione immortalẽ laudem conſecutus fuerat, præbere poteſt. Dicamus itaque de eo, quod Conſtantius Chlorus enunciaverat de iis, qui nullis deliciis miniſve, ut fidem Deo abnegarent, adduci poterant: *tales viros in præcipuis & maximè neceſſariis amicis ac familiaribus reponendos eſſe, & longè præferendos arariis, quæ ingentibus theſauris referta ſunt.*

VVolfgangum Kõterizium non malè faciet, qui Obadiæ illi, Prophetæ Domini occultanti & alenti, quo tempore Baalitarum religio invaluerat, comparaverit. Quo enim ille ſtudio eccleſiæ doctores, adverſariorum furoribus expoſitos, inque

exilium alibi cum tota familia ejectos, commendatione, consilio, ope fovērit, ejus epistolæ ubique testantur. Quo affectu, quam serio, quam fervido religionis puritatem fuerit persecutus, prodit epistola LV. Part. III. Plurimos hodie reperias Theologos, qui pacis causa mallent cum adversariis pacisci, quam certamina veritatis causa suscepta continuare. Eos plenus zelo Theologico Kōterizius dat in ruborem, confunditque scripturarum testimoniis & auctoritate Lutheri. Quis hanc non admiretur, non amet in Politico tam deditam veritati, tam sacram devotamque Deo alacritatem?

In ordine Ecclesiastico cordatæ severitatis laude inclity præ cæteris memorantur Nicolaus Gallus, Matthias Flacius Illyricus, Joannes Brentius, Martinus Chemnitius, Tilemannus Heshusius, Joannes VVigandus, Jacobus Andreae, Joachimus Morlinus, Lucas Osiander, Joannes Marbachius, Joannes Pappus, Jeremias Hombergerus, & alii. *Joannes Hoornbeekius*, ut jam supra observavimus, horum & aliorum accuratum studium, Pontificios, aut etiam Adiaphoristas, (cujus specimen habes, epist. X. Part. II.) invadendi, refutandi, exagitandi, sanctè commendat. Sed ubi Calvinianos alacri animo aggrediuntur, cum erroribus ipsorum larvas defrahunt, cum Pauli exemplo nec ad momentum ipsis cedunt, cum ecclesiis suis sedulo invigilant, ne peregrinis illæ doctrinis imbuantur, eum scriptis publicis pro veritate doctrinæ fortiter pugnant, nec deponere arma, toties jussi, toties rogati, contra hostes cupiunt, id tam malè ipsum, cæterosque ejus professionis doctores, habet, ut zelum istum ubique detestandæ intemperiei, beluini furoris, & nescio quorum amplius facinorum flagitiorumque nomine infamet. Non probo, si quis illorum modum excesserit, aut pro laudandâ alias severitate convitia contumeliasque jecerit in Calvinii sectatores. Nec hæ epistolæ idèd à me eduntur, ut omnium in iis dictorum, aut eo tempore factorum defensionem instituum. In bellis publicis, in certamine serio, in  
acribus

acribus praeliis multa perperam fieri, nemo ignorat. Homines fumus, nec quidquam à nobis humani alienum est. Soli reformati è toto hominum grege isto sanctitatis privilegio non erunt muniti. Sed tamen idèd maleficium dicendum non est, cum quis hostem fidei suæ adortus, austerioribus nonnunquam, quod & Christus atque Apostoli fecerunt, verbis tela in ipsum intorquet. Cur vapulent hic Lutherani, si toti reformatorum libri hac consuetudine scatent? Laudo è Calvinianis illos, qui sepositis verborum blanditiis, seria pugna nobiscum congregiuntur. Sed cum eorum plerique Syncretismo faveant, malunt capitales ejus hostes nefandorum criminum reos agere & incautioribus è statu politico persuadere, hos solos ecclesiarum, in rebus casta nuce vilioribus dissidentium, concordiam obstinatione sua & contendendi libidine sufflaminare, quam in ferium cordatumque inquirendæ veritati conflictum descendere. Si verò genuini Lutheri asseclæ, solidis intra conscientiam argumentis convicti, Calviniana dogmata pro erroribus, fidei fundamenta destruentibus, habent, cur non laudetur honestissimum propugnandæ veritatis, de qua persuasi sunt, studium?

Est omninò, ut quælibet virtus, ita & veræ religionis zelus in *moderati* positus. Is si immoderato rigore inclementius adversarium tractet, nec severitatem cum humanitate atque civilitate temperet, sanguinem nimium emungendo elicit, ut alicubi loquitur *Jacobus Andrea*, & animos, quos ad veritatis complexum attrahere debebat, exacerbatur atque à se alieniores reddit. Id vitium in Joach. VVestphalo castigat *Sulzerus*, Epist. LXIII. Part. II. Et in Tilemanno Heshhusio *Venningius*, Epist. LXXII. Part. III. additque, immodico æstu apud magni nominis viros haud parum sibi odii, nec minus apud alios invidiæ atque livoris Heshhusium conciliare, quo & optimi honestissimique viri labores inanes prorsus irritique efficiantur. Gravius tamen Ecclesiæ periculum incumbit, si rerum sacrarum tractatores nimia somnolentia atque ignavia occupet, ut *Pauli Eberi* exemplo, Epist.

Epist. VII. Part. III. lapsurum cœlum, id est, perituras resp. & Ecclesias metuant, si veritatem absque fūco & fallaciâ ingenuè profiteantur. Ad quem languorem & Melanthonis Epistolæ passim deslectunt. Ubi enim semel periculi timore remittere ab officio tuendi veritatem & contradicendi adversariis incipimus, controversiarum momenta, tepori nostro blandientes, extenuamus & prætextu pacis atque mandatæ à DEO conjunctionis, ut fecit *Eberus*, Epist. LXI. Part. III. consensum in doctrinâ generalem incuntes, errores speciales toleramus, donec veritatis adversarii, ut factum *Vittebergæ* fuit, sub formis primum universalibus tutò latentes, arrepta postea occasione in lucem erumpant & suppressa veritate dominium agitet error. Quod quam prudenter prospexerit *Kötericius*, epistolæ LIII. & LIV. Part. III. exponunt.

Nec zelus ille tantum intra conservandam propagandamque doctrinam sese continet, sed pietati quoque probisque moribus, qui alteram veri Christianismi partem constituunt, promovendis non segniori cura incumbit. In quo officio veteres quoque mirè fuerunt industrii. Solæ Augustini Epistolæ evidens ejus rei specimen præbent. Ut satagit, ait *Erasmus*, ut molitur, ut se vertit in omnia, quoties affulget aliqua spes pertrahendi vel paganum ad Christum, vel hæreticum ad Ecclesiæ communionem? Ut se submittit ac juxta Paulum mutat vocem suam, undiquaque venans occasionem excitandæ propagandæque pietatis, ubicunque sentit aliquam bonæ mentis scintillam residere? Cui mulierculæ, cui plebejo, cui aulico, cui pagano, cui hæretico non prompte, mansvetè, blandèque respondet? Quam anxia sollicitudine pro sceleratissimis, nec una morte dignis circumcellionibus intercedit? Quis majore studio pro suis amicis interpellavit, quam ille pro suis hostibus? Quanto nixu parturit omnes Christo? Quam gratulatur respiscentibus? quam sollicitè prospicit periclitantibus? quam sedulò docet errantes, mederi studens omnibus,  
perdere



perdere neminem ? Quam miserè uritur ad quodvis offendiculum ? Videas verè gallinam Evangelicam sollicitam & anxiam, ut sub alas colligat, foveatque pullos suos.

Nonnullis persuasum est, nobiliorem officii Ecclesiastici partem esse, pro suggestu pulchrè, ornatè, suaviter dicere, exquisitissimis verborum pigmentis auditorum aures delinire, in vitia & scelera censoria quadam gravitate sonore detonare, Stentoreis vociferationibus misellam plebem commovere, ut Divino quodam honore atque veneratione pastorem prosequentes, præ admiratione atque stupore exclament : hæc verba sunt non hominis, sed DEI. Catecheticas verò juventutis institutiones, tanquam *dignitate atque excellentiâ suâ* longè inferiores, nec quidquam in se, quod gravitatem ipsorum deceat, complexas, alto supercilio contemnentes, puerilem hanc operam Ludimagistris relinquunt, aut si quid huic rei laboris ex seriis atque majoribus negotiis decerpunt, ita tumultuariè, ita negligenter in ea versantur, ut præsentiam tantum suam commodasse, non admovisse operi manum videri queant. Cæterum de disciplina in ecclesia exercenda, de emendandis corruptissimis suorum moribus, de implantanda pietate, ne cogitant quidem, veriti, ne si severiori oculo quemquam adspiciant, si peccatores justa, ut meruerant, censura increpent, si *per* *visitatio* visitando flagitia in lucem protrahant, si à securitate carnali ad vitæ sanctitatem, ad ingenuum DEI & verbi Divini amorem, ad Christianæ pietatis quotidiana exercitia, publicè monendo, privatim colloquendo, adhortando, excitando traducant, ne plurimorum è gratia excidant, ne euntibus ad ipsos munusculis viam præcludant, ne favorem atque applausum vulgi amittant, ne denique pietati nimium studendo in VVeigelianorum, Quackerorumque societatem redigantur. Crescit interea ubique carnis securitas & peccandi licentia eorum oscitantia atque conniventia, qui huic malo vel maximè è primis ponere obicem debebant, plenis velis invehitur & profanus in ipso Christianismo regnat Pagani-

smus. Non potest disiteri, quisquis recto oculo Ecclesiæ nostræ faciem adspexerit, ut primum doctrinæ puritas ex Papali conscientiarum tyrannide Divino beneficio in eandem introducta est, Satanæ malitia morum simul tantam libertatem introiisse, ut quicquid ex illa boni sperandum fuerat, hæc omne vi quadam interceperit atque sustulerit. In Papatu privata confessiones & disciplina Ecclesiæ strictior ut in officio magnos simul parvosque continet? Ut à peccando deterret? At apud nos collapsâ Ecclesiæ disciplina, quis regnantibus ubique flagitiis frenum injicit? Ea equidem scelera, quæ in secunda legis tabula vel obsequium magistratui debitum, vel proximi famam atque facultates lædunt, gravissimâ poena mulctamus: sed quo affectu studioque Divinum numen colatur & intra se quisque probitatem sanctitatemque exerceat, parum pensi habetur. Referam viri quondam religiosâ pietate inclyti & mihi perquam amici verba: *Audies sapissimè in curiâ ventilari causas civiles & criminales. Si scisciteris, quid negotij? responsum feres: ventilatur actio injuriarum. Titius enim maculavit famam Sempronij sinistro vocabulo, vocavit enim nebulonem. Itaque lege jubente Titius peremptoriè citatus est. Vel ideò, quod eadem commisit, furtum fecit, rem cum scorto habuit, & sic consequenter. Verum nunquam audies sequentia agitari in istis urbibus: Titius citatus est ideò, quia in ipsum DEUM fuit injurius, profanando sanctissimum ejus nomen & vulnera Salvatoris horrendis maledictionibus contaminando. Citatus est Titius, quia templum non frequentat & rarus auditor est verbi Divini, contemnit sacras conciones & sublime sacramentum cœnæ, domi laborat strenuè die sabbathi, strepit equis & curru in plateis publicis, nullâ motus necessitate, ebrius oberrat sanctissimâ illâ die quietis, convivâ adornat, boat, tumultuatur, sub ipsâ concione in cauponis sese adussit vino, quod liberè caupo vendit, ut viscera calescant, immò nonnunquam sulphure accendantur, non à Spiritu S. sed spiritu vini. Emit, vendit, lucratur, negotiatur, ac si dies illa Dominica esset dies Mercurij,*

quæ

quem *Deastrum gentiles lucro ac mercimoniis præesse nugabantur olim. Monstra mihi in conterminis regionibus unam remp. in quâ jamjam à me enarrata cura unquam sit audita? Nihil enim moror Thomæ Mori Utopiam & Campanella remp. Solis & illas, quas ingeniosè delinearunt alij viri eruditi.*

Ex causæ sunt, cur suarum esse partium duxerint olim & etiamnum hodie ducant, qui è ministerio Ecclesiastico & officii sibi sui sanctitatem & depravatisimos Ecclesiarum mores exactius ad animum revocarunt, ut præsentioribus studiis, quam qualia in vulgaribus ad populum sermonibus cernuntur, & severiori disciplina, quantum in se erat, populum fidei suæ commissum docerent & impunè grassantibus vitiis remoram injicerent. Rati non sufficere, si Ecclesiæ pastor conscientiæ suæ ex verbo Divino haustum dictamen sequi, nec animam suam æterni exitii periculo objicere velit, ut verbum ex ambone, eloquentiam suam ambitiosè ostentando, prædicet & Sacramenta dispenset, atque hoc mercenario opere defunctus vel domi otiosus desideat, vel convivia frequentet, vel captando turpi lucro inhiet, vel voluptatibus indulgeat; sed necesse esse, ut & privatim suorum mores accuratè exploret, ut errantes aut mysteriorum ad salutem ipsis profuturorum ignaros domesticis colloquiis informet, ut segnes atque desides suo exemplo exuscitet, ut ad sanctioris vitæ institutum, suggerendo salutaria monita, ostendendo viam, commendando libellos ei rei utiles, præfenti inflammatione deducat, ut Apostolo duce omnia omnibus fiat, ut omnes lucretur, ut insinuantes se clanculum veræ doctrinæ hostes atque piarum mentium seductores exquirat & ex orthodoxorum cœtu abigat, ut legum Divinarum humanarumque contemptores observet, corrigat, in viam reducat, aut sicubi pertinaces aliisque offendiculo fuerint, vel ad magistratum deferat, vel censuris Ecclesiasticis coërceat. Cum enim animæ humanæ curator sit Ecclesiæ minister, Deoque, justissimo judici, rationem, si cujus unius jacturam fecerit, reddere

teneatur, cur non, quæcunque excogitare possit, studiis, subsidiis, mediis suorum quærere salutem & avertere damnationem debeat? Aut quis hanc in Ecclesiæ doctore curam, sollicitudinem, severitatem, à Deo quippe præceptam & Ecclesiæ utilitati unicè inservientem, improbet, ægrè ferat, sufflaminet? Quis non in cœlum vehat, laudetque?

Ejus zeli illustria comparent in epistolis nostris documenta. De Ecclesia Basileensi *Sulcerus*, Epist. LXII. Part. II. *Disciplinam desideramus, cujus nomine magistratum interpellavimus, qui licet placidè postulationem accepit, deliberationem tamen de propositis capitibus longius protrahit, quam vellemus. Et metuemus, ne, ut sunt tempora & mores, minus sit ex voto nostro responsurus. Videmus enim, quam habeantur molesta, qua quoquo modo ex Ecclesiasticâ auctoritate, licentia passim dominantis coercionē spectant; dumque tyrannidem Papa metuant, plerique jugum Christi suave refugiant.* Conqueritur, eos honestissimum institutum vel impedire, vel non promovere, qui Ecclesiæ totius curam maximè agere & pastores ad obeundum officium excitare, si vecordes illi invenirentur, debebant. Certò ut magnum ad hoc negotium momentum conferre potest primarius Principis & destinatus ad res sacras dirigendas minister, cujus se ille nutui ac voluntati facile accommodat: ita nihil obtinetur difficilius, quam id, quod ad pietatem plantandam & corrigendum corruptum Ecclesiæ statum pertinet, si ex politico ordine Ecclesiarum gubernationi præsent, qui Principis se unicè voluntati, existimantis, vel juri suo aliquid derogari, si morum gubernationi atque censuræ homines Ecclesiastici se quomodolibet immisceant, vel suamet libertatem, quod grave ipse foret, quibusdã vinculis constringi, attemperant, quibus religio, quod frequenter fieri solet, pro utili fabulâ est, quâ insanæ plebi conpedes injiciantur, qui clerum ipsi, ut soli emineant, pedibus conculcant, nec Ecclesiæ serio unquam studio aut aliter curam gerunt, quam qua privatæ illa rei ipsorum utilis est. Nam hoc ho-

minum genere ad clavum sedente, quid omni vi sua, omni conatu efficere poterit, dejectus ad aliorum pedes, Ecclesiæ minister?

De arctiori instituto solliciti fuerunt Theologi Argentoratenses, quorum propositum Epist. XCV. Part. IV. exponit *Jo. Pappus*. Complectebatur id partim confessionem atque absolutionem privatam, (quam introductam quidem, & si rectè memini, in Ecclesia Nicolaitana aliquandiu conservatam, quia iniquis nonnulli oculis, qui nempe *nolebant corda sua omnibus patere*, adspexerant, Momorum industria iterum in desuetudinem abiit) partim *ἰατρικὴν ἔργον* *ἵκνυτο*, quâ Ecclesiæ ministri nonnunquam obeundo domos, *privatim*, ut Pappus loquitur, *singulorum, qui se pro discipulis gerebant*, exclusis scilicet ab hac curâ Papistis, Zvvinglianis, Svencfeldianis, Anabaptistis, quippe qui à veræ Ecclesiæ communione seipso segregare solebant, *fidem confirmabant, imbecillitatem jurabant, vitiositatem emendabant, denique ab induratis & incredulis separabant discipulos*; (Quod nempe eo tempore hoc magis necessarium fuerat, quo sectariorum istorum nonnulli sub grege Lutherano latentes, atque ad generalem peccatorum confessionem cum cæteris accedentes, absolutionem ministris genuinis & communionem suffurabantur, cæterisque presentissimum ex quotidianâ cum iis conversatione seductionis periculum imminabat) partim denique correptionem coram presbyterio publicam, quâ vita Christianis indigna, ubi una & altera Pastoris atque Diaconorum admonitio frustra fuit adhibita, castigabatur. De novo isto in Ecclesia Argentoratensi ordine, cum Theologorum Basileensium consilium à Marbachio peteretur, rescribit *Sulcerus*, Epist. XCIV. Part. IV. eum ipsis usquequaque placere. Necessariam esse utique cum diligentiorum rudiorum catechesin, tum inquisitionem domesticam, qua vultus pecoris pastoribus plenius cognitus esse queat. *Opus certè est, ait, sanctâ disciplinâ, quâ cum juvenis tum adulti Christi jugo strictius subjiciantur*

ac edantur fructus, Christum profitentibus digni. Quæ cum singulari <sup>in p[ar]te</sup> confirmantur epistolâ ejusdem partis XCVI.

Ut sanctum atque salutare hoc institutum non destitueretur felici successu, magistratus auctoritatem intervenire oportere non abs re judicat *Jacobus Andrea*, epist. XCVII. Eâ enim deficiente quis reluctantes ad officium compellet? Quis ordini isti decus asseret & existimationem? Nec verò quidquam in Ecclesiâ convenit in externo ordine vel constituere, vel immutare, citra ejus consensum, cui summum in Remp. ecclesiamque jus est atque imperium. Arbitror verò *Joannem Pappum*, cum inscio magistratu negat negotium susceptum, Senatūque officii sui in curiâ sæpè admonitum esse adseverat, consensum ad opus istud, quem vocant, implicitum atque virtuale, qui in non prohibendo, non refragando, non improbando consistit, accedente inprimis in rep. populari plebis expressâ suffragatione, interpretari. Qui utrum ad eos quidem, qui supra recensiti sunt, actus sufficiat, ego omninò dubito. Quamquam visitationem atque informationem privatam, si à publica correctionis actu, eandem consequente, abstrahas, ministerio equidem ex se competere, citra peculiarem à magistratu ei concessam potestatem, dubitandum non est, ex argumentis suprâ à nobis adductis. Quare & hodie videmus, in celeberrimis ecclesiis, privata, imbibendæ accuratori de Deo rebusque Divinis notitiæ & promovendæ vitæ sanctitati instituta collegia atque congressus, non sine eximio fructu frequentari.

Sicut verò nihil equidem utilius est hoc instituto: ita profectò nihil difficilius. Non tam ob hominum & seculi pertinaciam, quæ ferre habenas recusat, quam ob ministrorum, qui huic labori destinati sunt, conditionem. Ut enim alii nec eruditione, nec pietate, nec alacritate ad subeundum hoc onus destituuntur: ita complurimos passim reperiri, quibus unum horum deficiat, quique ad eum laborem sustinendum pares non sint, experientia commonstrat. Notanter Pappus: *Non nego,*

MAXIMAM

maximam esse in hoc proposito difficultatem, maximè aliquorum fratrum consideratis moribus & ut lenissimè dicam, in obeundis ceteris officij partibus tarditate. Quam in rem suo utitur exemplo: atque ut de meipso dicam, ad quem hæc omnium minimè pertinent, (quia nempe tum nondum ministerio insertus fuerat) ego, si Diaconus essem, magnum meis humeris onus, neque par meâ vel doctrinâ, vel in agendo dexteritate, impositum intelligerem. Nonnullos certè ministros supina ignavia à sollicitudine illa revocat, qui curare euntim malunt & otio atque voluptatibus diffluere, quam defatigari inadfueto sudore. Alii, qui mercedis tantum causa conductos se opinantur, lucri insana cupiditate agros colere, alere pecudum armenta, sordidis mercimoniis, & usuris aurum argentumque corradere, non pascere gregem Dominicum, didicerunt. Quidam ad eum scientiæ gradum non pervenerunt, ut, quod publicè ex descriptis aliorum operibus faciunt, privatim quemlibet commodè informant. Hi omnes quamquam promeritas suo tempore justo judici dabunt pœnas, ita tamen cum ecclesiis nostris ubique locorum comparatum est, ut vel iisdem sese intrudant, vel muneribus affinitatibusque sese insinuent, vel deficientibus aliis, ne Ecclesiæ pastoribus prorsus orbæ existant, quadam necessitate adsumantur. Quo pacto per hæc bonæ mentis carcinomata scopum tibi præfixum attinges? Quod si probi tibi doctique ex voto tuo obringant, non tamen semper cum pietate atque eruditione agenti, qualem optas, dexteritas est conjuncta. Hæc si utique adfuerit, vel deerunt desiderio tuo nisi que patroni, vel ecclesiæ tuæ status oblectabitur. In re itaque uno quam alio loco difficiliori quisquis ad scopum tam salutarem grassari potest, impius & profanus sit, quin id faciat: qui verò consideratis probè omnibus & collocata sedulò opera spe tamen sua frustratur, ut interea alia quacunque ratione gregem curæ suæ commissum ædificare adlaboret, is officio suo defuisse idèò dicendus non est.

Diximus hæcenus, serium atque cordatum conservandæ & propa-

propa-

propagandæ veræ doctrinæ studium primam absolvere prudentiæ Ecclesiasticæ partem, restat, ut de parte altera, quæ in lenitatis utque moderationis exercitio consistit, quantum ex eâ epistolis nostris aliquid lucis accedit, dicamus. Nempe ista adversus vitia doctrinæ morumque severitas non excludit Christianam moderationem & æquitatem, præcipuè in ordine atque modo tuendæ & defendendæ veritatis, corrigendi & emendandi errantes, impugnandi & refellendi adversarios, proscribendi scelera, quæ offendere Ecclesiam poterant, & plantandi vitam, sanctis Dei legibus conformem, prudenter occupatam. Ut enim semper convenit, hæreses & scelera, Christianismum profanantia, ex toto animo odisse &, quantum in nobis est, ex Ecclesiæ pomœriis expellere: ita qui rem tantam animo parum considerato & imprudenter suscipit, plus plerumque Ecclesiæ suæ damni parit, quam emolumentum. Nec enim hominum plerorumque animi tam austeritate percelli volunt, quam lenitudine quadam & mollitie flecti.

Cum verò moderationem quandam & in agendo æquitatem ecclesiæ necessariam & utilem esse profiteamur, id equidem volumus, non posse vel majus ecclesiæ commodum, vel laudabilius doctori ejusdem ornamentum accrescere, quam si illæ in eo virtutes conjunctæ reperiantur. Sed cum id rarissimè contingat, Ecclesiæ tamen suæ ita providit Deus, ut in diversis illæ subinde existerent, ipsorummet doctorum congressu & communicatione, ubi opus esset, copulandæ & quasi commiscendæ. Ut itaque alii zelo æstuant: ita lenitate alii & humanitate amandi venerandique inveniuntur. Habet ecclesia, qui nec in *conservatione unitatis negligunt disciplina severitatem, nec immoderatione coercionis dirumpunt vinculum societatis*: ut ait Augustinus, lib. III. contr. Epist. Parmen. c. II. Non erant tantum in veteri Ecclesiâ Cypriani, Athanasii, Epiphani, Cyrilli, Chrysostomi, Augustini, Hieronymi, sed & Irenæi, Hilarii, Gregorii, Basilii, Procli. De Irenæo Eusebius, lib. V. Hist. Eccl. c. XXIII.



ὁμοιωθεὶς τῷ θεῷ ἢ ἄλλῳ ἀγγέλλῃ, αὐτῷ δὲ τῷ ἑαυτοῦ ἀποκρίσει, nominis sui appellationi pulchrè respondens, ipsis etiam moribus & factis pacem faciebat. De Hilario Pictaviensi Ruffinus, lib. I. Hist. Eccl. c. XXXI. Vir erat naturà lenis ac placidus, simul eruditus & ad persuadendum commodissimus. De Attico Constantinopolitano Socrates, lib. VII. H. E. c. XXVIII. Moribus erat facilis, affabilisque, simplex & veritatis amicus. De Proclo idem c. XL. Omnibus se mansuetum & facilem praebeuit, hacque ratione multò citius quam vi eos ad Ecclesiam traductos fore praevidit. Secuti nempi hi fuerant Augustini consilium, lib. I. contr. Lit. Petiliani, cap. XXIX. scribentis: Diligite homines, interficite errores, sine superbiâ de veritate presumite, sine sevitâ pro veritate certate.

Illà moderationis laude eximii in epistolis nostris præ cæteris sunt, Joannes Brentius, & Simon Sulcerus. De illo enim Lutherus, scitam eruditamque inter se atque illum comparationem instituens: non Brentium, ait, sed spiritum prædico, qui in te suavior, placidior, quietior est; deinde dicendi artibus instructus, purius, luculentius & nitidius fluit, itaque magis afficit & delectat. Meus verò præterquam quod artibus dicendi imperitus & incultus, nihil nisi sylvam & chaos verborum evomit; tum etiam eo fato agitur, ut turbulentus & impetuofus & veluti luctator, cum monstris infinitis semper congregi cogatur. Itaque si parvis licet componere magna, mihi de quadruplici spiritu Elia ventus, motus & ignis, qui montes subvertit & Petras conterit, tibi autem & tui similibus sibilus ille blandus aure tenuis, qui refrigeret, contigit. Utrumque laudat Lutherus: summam in sacris severitatem, summamque moderationem. Sulcerus verò adeò ubique mitis est, adeò semper benignitatem & clementiam spirat, ut quandam indulgentissimum patrem loqui, quoties refertas omni humanitate & suavitate literas legis, existimes. Nulla ipsi unquam bilis, nullum supercilium. Sanctam perpetuò colit simplicitatem, veritatemque sine infectatione, sine aculeis instillat. Jurgiorum osor acerrimus, tenerrimus concordiae Ec-

eclesiasticæ amator. Et tamen in his virtutibus nunquam orthodoxiam deserunt duumviri illi, veritati secundum normam sacrarum literarum exactæ tenaciter inhaerent, Brentius quoque ob eandem vivo exilii martyrio coronatur. Eos proximo gradu insequitur *Dav. Chytraus*, ob moderationis studium maximis etiam Imperatoribus adamatus. Cujus denique vestigia haud infeliciter premunt *Huldricus Coccius* atque *Martinus Chemnitius*.

Illa se animi facilitas atque moderatio in Ecclesiæ salutem ita sapienter dispensat: ut exortis controversiis non pro se sibi quilibet judicandi decidendique potestatem sumat, sed communicato cum aliis consilio, ipso multorum consensu errorem confundat. Ut errantem præcipiti condemnatione, aut investivis ab humanitate alienis, quem poterat mansuetudine corrigere, non acrius irriter. Ut non quemlibet in re leviori disensum hæreseos maleficio traducat. Ut quem disputationibus atque colloquiis non potest, seriis ad Deum precibus emendare labore. Ut schismata in ecclesia sua, quanto potest, studio præcaveat, nec ad exclusionem cujusquam ministri, si præsertim ab ejus ore nutuque ecclesia pependerit, nisi agrè & sero procedat. Ut in refutandis sive voce sive scripto adversariis ab affectibus sibi temperet, nec serias disputationes in criminationes, Christiano nomine indignas convertat. Ut deniq; commendatam tantopere a Christo caritatem, ut unicam actionū suarum regulam, ubiq; veneretur, ubiq; adoret. Istis certè præcipuè *Sulcerus* & proponendis & commendandis & svadendis & inculcandis perpetuò occupatur. Epistolâ xxxvi. Part. II. *Vides, inquit, & doleo, controversiam circa eucharistiam etiamnum flagrare, de quâ præstaret, legitima piæque sanctorum & eruditorum Synodo tractari, (quod & Melanthon optavit, epist. xxxiix.) quam amarulentis adeò libellis, quibus non fovetur meo iudicio, sed debilitatur potius sincera professio & scandalis repletur Ecclesia, ex quibus & Epicurica ingenia sue impietatis & sanatica errorū somniorumq; patrocinia petunt. Quibus pio animo addit: Nos, quod nostrum est, pio studio veritati hæcæmus, aqua-*

nimitatem non amittamus, ad adificationem gregis Christi toti incumbamus. Atque idè, & ne suis nimium confusus viribus præter ecclesiæ vel utilitatem vel decorum quicquam faceret, literarum communionem à Bucero diligenter sibi commendatam esse asseverat. Epist. VI. Part. I. Quam & urget *Bucerus* ipse. epist. I. Part. II. & *Melanthon*, epist. IV. Part. II. Reliqua omnium ferè epistolarum Sulzerianarum argumentis abundè confirmantur.

Ex his ipsis luce meridianâ clarius est, moderationem illam cum severitate antea dilaudata, quod multi existimant, non pugnare, sed severitatem sartam testam supponere, modumque tantum, quo gubernare illa sese debeat, commonstrare. Probo verba *Nicolai Vedelij*, hominis Reformati, quæ ei veritatis vis expressit, libro I. de Prudent. vet. Eccles. c. IV. in quo disquirat: quomodo intelligendum sit, & quam verè vulgò dicitur: zelum prudentia temperatum esse debere? *Temperamentum illud*, ait, *non in eo consistit, ut vel tantillum de zelo remittamus illo, aut vel minimum quiddam in præjudicium veritatis faciamus vel admittamus, aut denique segnes illius defensores simus. Quâ in re gravissimè & inexcusabili modo peccatur ab iis, qui zelum prudentiâ ita temperandum sibi putant, ut veritatem non defendant, vindicent, promoveant, metu offensionis, aut spe compensationis humane. Hanc prudentiam esse, quaso, nemo sibi persuadeat, nisi prudentia sit, scelus committere, talentum defodere, veritatem prodere, offensam DEI incurrere & aterna supplicia sibi, quantum in ipso est, attrahere. Sed vera prudentia, quâ zelus temperandus est, in eo consistit, ut Zelo illo benè & utiliter ad gloriam DEI, adificationem Ecclesiæ, concordiam membrorum illius inter se, regni denique Christi incrementum & Sathanica tyrannidis destructionem utamur. Circumspiciendum igitur est, quid, quo loco utile, quid noxium, quid necessarium, quid non necessarium sit, quo ad istum scopum pervenire queamus. Hactenus ille.*

Si quis hodie veram animi temperantiam seriò laudet, alios-

que, ut moderatius se gerant, admoneat, utcunque de cætero doctrinæ sinceritatem toto pectore foveat, utcunque errores omnes cane pejus & angve devitet, apud eos, qui zelo toti ardent & isto igne propemodum conflagrant, pessimè audit. Solum hodie moderationis inane nomen retinemus, rem ipsam amisimus. Quisquis in adversarios non totis semper buccis debacchatur, quisquis iis hæresion plaustra & flagitiorum quandam farraginem non improperat, quisquis quemlibet quomodolibet à nobis dissentientem non ut scelus & Diaboli mancipium ad orcum condemnat, quisquis non in propriæ ecclesiæ viscera sævit, nec vel fratrum suorum testos antea navos denuadat, vel novos ex quolibet verbulo accurato artificio errores fabricat, is scilicet Theologi nomen non meretur. Is ecclesiæ suæ proditor est. Is vel Syncretismo infectus est, vel Syncretismi patronum agit. Eum, tanquam mortiferum quoddam venenum, diligentius quolibet Pontificio vel Calviniano, fugiendum esse sedulò monemus. Nunquam magis suspecta, nunquam minus laudabilis fuit, ex quo ecclesia stetit, moderatio. Sunt utique, qui sub moderationis nomine pestilens virus occultant & vel veritatem supprimunt, vel errores tolerant atque ad illos, quousque radices egerint, connivent, quod, qui approbat, qui tacet, Theologi nomen immeritò gerit; sed qui in altero extremo non peccare plurimos videt, qui sub Divini zeli specioso titulo moderationem omnem proscribunt, utque eo latius grassari zelo suo possint, novos ex qualibet opinione fidei articulos condunt, quique eos non illicò venerabundi adorant, in perniciosissimorum hæreticorum classes redigunt, is nihil profectò videt. Quam iniquum est, eos Theologos, qui per omnem vitam de ecclesia benè sunt meriti, de quorum orthodoxia tot extant, quot in lucem scripta ediderunt, testes, solum ideò, quia nativâ quadam indole ab acriori disputandi methodo & amarulentis atque personalibus, ut loqui solemus, in-jectivis abhorrent, ut tamen aliis laudem non invident, qui  
instigan-

instigante vehementiori natura suæ stimulo quodam filii fragore adversarios aggrediuntur, Vatiniano quodam odio prosequi, & quantum in te est, ex genuinorum Theologorum albo eradicare? Veteres moderatione sua plus sæpe commodi quam severitate Ecclesiæ attulisse, laudatumque à Luthero fuisse, eo tempore, quo non hostium tantum, sed & falsorum fratrum haud exiguus numerus fuerat, Brentium, à blando & refrigerante auræ tenuis sibilo, quippe magis, quam in turbulento & impetuoso spiritu fieri soleat, afficiente & delectante, supra adductis ejus rei documentis ostendimus. Cur eam virtutem amiserit hodie moderationis cum zelo temperatae suavitas? Defendamus serio cordatoque studio veritatem, nec tamen ad destructionem potius ecclesiæ, quam ejusdem amplificationem zelum nostrum adhibeamus. Sicuti opus severitate est, officio nostro ne desimus, sed ideò moderationis & æquitatis non obliviscamur. Nec zelo nostro doctrinæ tantum puritati, sed sanctitati etiam vitæ, cujus plerumque præ illâ toti obliviscimur, studeamus. Omnia faciamus ad ecclesiæ ædificationem & dicamus cum Apostolo: *ἵνα ἐπιστηθῶ, ὅτι, ἔτι σωφρονισθῶ, ὑμῖν* II. Cor. V, 13. Id est, si quandoque zelo videmur excedere, id nimio promovendæ gloriæ DEI desiderio imputemus, neque zelotam reprehendamus: si verò nonnunquam moderatius & lenius nos gerimus, tribuamus id ardenti studio, juvandi proximum, ne is severitate nostra irritatus pereat, nec mansuetudinem hanc odiosè exagitemus. Ita prorsus locum exponit *Flacius*.

Tam sapienti severitatis & moderationis temperamento admirando cum successu & felicitate gubernata fuit superioris ævi Ecclesia. Illa ut è Papæ captivitate exorta puriore Lutheri doctrina eluctata, in omnes Europæ angulos brevi sese diffuderit, excusso ubique Romani Pontificis jugo, sexto hujus apparatus capite ostensum à nobis est. Nec infeliciori fato postea dilatabatur. Accessit enim veræ Ecclesiæ tota Anglia, Martini Bucerii atque Pauli Fagii operâ è tenebris eructa & resti-

tuta luci. Qua in re quo studio, qua sanctitate, qua prudentia versati fuerint martyres illi, exponunt epistola V. & VII. Part. I. itemque I. & II. Part. II. In recensendo Ecclesiarum Rhætiae atque Galliae augmento, nemo subinde operosior est *Sulcero*, qui in earum regionum degebat confinibus. Locarnensium constantiam prædicat, epist. XXVI. Part. II. Ecclesias in Pedemontio ita quotidie crescere ait, epist. XXXI. *ut in singulos menses novis ministris sit opus.* Quos quidem eo fervore profiteri Evangelium asserit, *ut multa jam millia concorditer jugulum offerant pro confessione Evangelij Christi.* Eadem epistola & Parisinam ecclesiam incrementa sumere, & Marchionatum nostrum Basiileam, ex qua sibi ministros accersat, prope exhaurire testatur. De Gallis Cisalpinis memorat epist. XXXVII. Part. II. Ecclesias in Stiria & Carinthia Chytræus reformat. epist. CLXI. Part. IV. Ecclesias Oetingensem, Helfensteinensem, Badensem, Hagensen, Brunsvicensensem, Jacobus Andreae, epist. CXLIX. Part. III. Quasque fidei operâ fundarunt, eas nec minore nec signiore cura, ut conservarent atque exornarent, omni studio & labore adnisi sunt. Documento sunt vindiciæ veræ religionis in variis cum Doctoribus Pontificiis colloquiis à nostris exhibitæ. VVormatiensis colloquii frequentem habes in epistolis partis secundæ, Possiaceni in Gallia, itemque collationis ad Tabernas Alfaticas in epistolis tertiæ partis, Badensis in epistolis partis quintæ, Ratisbonensis in epistolis partis septimæ, mentionem. In quibus quo ardore defensa, quo successu dilatata fuerit ecclesiæ nostræ doctrina, notius est, quam ut prolixis verbis debeat exponi.

Quamquam verò majori successui non exiguum impedimentum injecerint infausta, quæ inter nostrosmet exorta sunt, certamina, quibus si destituta fuisset ecclesia nostra, dubitandum non fuisset, quin debellato regno Pontificio doctrinæ evangelicæ veritas longè latius diffusa innumera alia loca occupasset: laudanda tamen & hic est nostrorum industria, quod

exortis

exortis sinistro fato erroribus maturè obviam ire, nec pati voverint, ut nævi illi solem veritatis, discussis nuper nebulis noviter illustratum, obscurarent. Quâ prudentia, qua sedulitate id fecerint, eo capite explicavimus, quo controversias evolvimus, qua dissidiis istis infelicibus occasionem dederunt.

Nullibi se præsentiori experimento ecclesiastica illa gubernandæ ecclesiæ prudentia exeruit, quam in denudanda errorum Calvinianorum, tum ab exorta evangelii luce prorsus recentium, vastitæ & in lucem protrahendis eorundem doctoribus. Negari omninò nequit, plerosque eo tempore, qui Huldrici Zwinglii atque Jo. Calvinii placitis adstipulabantur, sive ex pudore quodam, (quod nolent videri: ac si eam doctrinam, quæ à Reformationis Lutheranae tempore in ecclesia, publica omnium ubique regnorum & locorum congratulatione, recepta fuerat, novis doctrinis contaminarent & schismati cuidam inter ipsos Lutheranos ansam præberent) sive ex metu, ne, si ingenuam ederent confessionem, vel exuerentur functionibus suis, quibus præfuerant, vel spe obtinendorum officiorum deicerentur, Lutheranam religionem externè simulassè, & à Calvinianæ tamen fidei complexu non recessissè. Atque illud quidem nonnunquam, tempori inservientes, ita fecerunt, ut formulis Lutheranis, quasi erroris pœnitentiâ ducti, subscriberent, quotusque aditu ad alia apud Calvinianos officia ipsis patefacto, non tam sententiam animi internam, quam professionem exteriorem mutarent. Nonnunquam ambiguus, lubricis & incertis loquendi modis nostros ita decipiebant, ut Lutheranos esse crediderint, donec tandem accuratiori disputandi lima adhibita mentem nihilominus Calvinianam proderent. Ut verò quo magis tectum occultumque venenum est, eò periculosius serpit, eoque acriori curâ & studio vitari debet: ita quoque cum religionis doctrinis comparatum esse nemo ambigit. Quo enim magis error in fide sese occultit & externa specie fallit, eò studiosior danda est opera, ut in solis lucem ponatur, ne sub-

tractus

tractus oculis majori periculo animas involvat. Ea sollicitudo quam exercuit veterem Ecclesiam, in denudando Semi-Arianismo & Semi-Pelagianismo occupatam? Nec ignaviorem operam superioris seculi Theologis datam esse, ut à clanculariis & erroribus & doctoribus Zvvinglianis Ecclesiam sui temporis liberarent, supra ostendimus. Nunc verò quòd de Calvinianorum eo tempore consuetudine à me dictum est, non unis ex epistolis nostris exemplis comprobabo.

Petrus Martyr, ex Anglia redux atque secundo ab Argentoratensibus receptus, ita se intra metas continuit, ut præter suspicionem doctrinæ Ecclesiæ adversæ, nihil in publicum facile erumperet. Sed à Tigurinis vocatus, cum paratam sibi alibi vivendi facultatem cerneret, demum conquestus est, se juxta leges Ecclesiæ Argentoratensis, qui diversam ab illa doctrinam foveret, docere non posse. *Sim. Sulcerus*, epist. xxxix. Part. II. *Petrum Martyrem video tentationi profecto gravi indulsisse, quando, qui secundo à vobis exul receptus, inque honestum locum constitutus, non ante prætendit, se legibus arctioribus, idque contra conscientiam, constringi, quam cum locum videret & conditionem apud Tigurinos oblatam.* Atque pro more votum addit: *Dominus bene vertat & affectus impotentiores, qui solus potest, ipse moderetur, benedicatque Ecclesiæ his tam fatalibus calamitatibus.* Hieronymi Zanchii heterodoxia latere tamdiu non potuit. De quo *Lud. Rabus*, epist. XIII. Part. III. *latens venenum circumfert, evomiturus illud, primâ occasione oblatâ.* Nec minus scitè *Jo. Brentius*, Epist. xxii. Part. III. *Quod nunc agit Zankius, idem antea egerunt Calvinus & Martyr; tantisper suas opiniones apud vos dissimularunt, donec invenirent loca, in quibus tuto effunderent sua dogmata.* Spiritus Christi prudentissimus quidem est, non est autem tam malitiosè callidus, ut aliud fingat, donec suum habeat asylum. Cum postea ab Ecclesiæ Argentinenensis doctoribus, ut pressiori confessione consensum suum explicaret, ne forte Ecclesia peregrinis clanculum erroribus infecta

fecta



fecta in novum periculum præcipitaretur, noluit animi sui  
 fensa, ut Theologum cordatum decebat, simpliciter & ge-  
 nuinè expromere, metuens, ne statione suâ dejectus agere  
 exilium necesse haberet, sed cothurno usus effecit, ut func-  
 tione suâ diutius perfrueretur. Quam fraudulentiam castigat *D.*  
*Chytraeus*, epist. XLIII. Part. III. *Zanchi* ~~epist.~~ *planè inquisitor esse*  
*video. Nam sicut credit veram formulam, ita etiam docebit.*  
 Nec benè de ea ominatur *Sulcerus*, epist. XLVI. Et comproba-  
 vit demum eventus, cum Clavennam Rhætorum discederet,  
 nunquam ipsum animo Lutheranae doctrinae, quam verbis si-  
 mulaverat, verè adhæsisse. Inter lubricos istos angues nume-  
 randus sine dubio foret *Cassiodorus Reinius*, cujus est ad Marba-  
 chium epistola, LXXVI. Part. III. si, quod ambiverat, in eccle-  
 sia Scholaque Argentoratensi publicæ ei docendi potestas facta  
 esset. Ut enim Calviniani spiritus indicia passim transparent?  
 Et quam tamen in fidei tradendæ doctrinâ consensionem, in-  
 que conversatione charitatem, quam suavibus, quam mellitis  
 verbis pollicetur? Quanti verò laboris fuerat, ut ex latibulis  
 suis, conspiciendus in nativa facie, produceretur Joannes Pisca-  
 tor? Non poterat colloquendo disputandoque adduci, ut do-  
 ctrinam suam Lutheranae, qualis tum Argentorati publicè rece-  
 pta fuerat & ex suggestis cathedrisque sonabat, contrariam esse  
 fateretur. Epist. XLVIII. Part. IV. Quid? quod magnâ confi-  
 dentiâ, depositus ab officio, Tubingam ad examen Theologi-  
 cum invitatus, juxta epistolam L. Part. IV. concesserit, spe fre-  
 tus, fore, ut dubiis loquendi formis Theologico Collegio ita  
 imponeret, ut ejus opè honori pristino illicò restitueretur. Sed  
 condemnatus ab illo, ut habent epistolæ LIII. & LXIV. cum  
 latendi spes omnis decollasset, non amplius se Lutheranum  
 professus, sed partes Calvinianas magna acerbitate per totam  
 vitam tutatus est. Ut Calviniani VVittebergenses metu im-  
 pendentis ipsis periculi tergiversati fuerint, se Calvinii secretarios  
 profiteri, ex supra dictis abundè patuit. De iis *Jacobus Andree*,

Epist. XCI. Part. IV. *Conscripserunt non modo Brunsvicensis, sed etiam inferioris Saxoniae Theologi commune scriptum, in quo ejusmodi quaestiones proponunt Wittembergensibus, si categoricè ad eas respondent Wittembergenses, futurum est, ut sese aut Lutheranos aut Cinglianos & Calvinianos declarent. Atque etiam extorqueri possèt Wittembergensibus categoricum responsum, quale Elector exigat: Petit autem, immò postulat confessionem Lutheranam, non cothurnum Calvinianum. Sie müssen auß der Höhle & sese non amplius tegere poterunt. Sed illi tamen, Jacobo ceterisque Theologis versutiores, adhuc diu delituerunt, donec tandem coacti faterentur, se Lutheranos non esse. Vide epistolam CLXXIII. Part. IV. Ingenium Johannis Sturmii, Zvvinglianis erroribus intra sese tenacissimè addicti, nec tamen Lutheranos se societate abdicantis, Jo. Pappus depingit, epist. CX. Part. IV. De Johanne Jacobo Grynæo Petrus Patiens, epist. xv. Part. V. *Semper talis extitit, ut factò demonstrarit, se mel in ore, fel in corde habere. De Jenensibus crypto-Calvinianis Timoth. Kirchnerus, epist. xxxiii. Part. V. Convicimus eos falsa doctrina. Coacti tandem agnoverunt, se non juxta verbum DEI & formulam concordiae docuisse, idque suis chirographis seu propriis manibus contestati sunt. Licet autem hoc fecissent, tamen pro more istorum hominum durante visitatione quadam mutabant, & ea, quae publicè pro concione dixerant, postea subdolè in ipsa concione, quam scriptam exhibere cogebantur, omiserant, quae tamen ipsi postea rursus suâ manu corrigebant, non menstruam habentes fidem, sicut de quibusdam Hieronymus scribit, verum paucarum horarum.**


Si qui inter Reformatos hodie ab iis artibus, à Theologica gravitate & candore alienis, abhorreant, eos vehementer laudo proboque. Si qui verò inter Lutheranos eodem decipiendi artificio utantur, aliudque profiteantur verbis, quam corde sentiunt, eos seriò reprehendo & detestor. Quis enim hanc in viro bono ferat levitatem? Non abs re de dissimulatoribus istis *Jacobus Andrea*, epist. XC. Part. III. *Es möchte einen wohl verdrieß*

verdriessen/ daß Zwingliani nicht Zwingliani seyn wollen. Sic solet tergiversari spiritus mendacij, donec invenerit campum, in quo se aperire potest. Et epist. CXXVI. Tanta est illorum improbitas, ut, quod credunt, fateri non audeant; usque adeo sua causa non fidunt, quando ad examen severius controversia perventum est. Nec minus rectè Joannes Magirus, epist. XLVII. Part. VI. Jam pridem Calvinista hoc artificio illiberali uti cæperunt, ut aliud lingua sonet, aliud cor sentiat. Loquuntur interdum linguâ nostrâ, at cor eorum longè à nobis est; in morem hyenæ, quæ vocem humanam imitari dicitur, in hominum perniciem, quos vocis similitudine allectos interficit. Sic adversa pars voce & verbis ad Confessionem Augustanam, Apologiam & Concordiam Wittebergensem accedere videri volunt, cum veram horum sententiam canè & angue pejus oderint & extinctam cupiant.

Atque hanc noxiam cuniculorum foeturam, de qua libro XIII. Epist. LIIX. scribit Martialis:

*Gaudet in effossis habitare cuniculus antris;  
Monstravit tacitas hostibus ille vias;*

veterum prudentia sollicitè detexit, & ne ecclesiam perditum iret, à finibus ejus, quantum in se erat, arcuit, denique eo ipso nativo suo nitore & majestati restituit. Quam & in Colloquiis solennibus, Heidelbergæ, Anno M D LX. Maulbrunnæ, Anno M D LXIV. Montisbelgardi, Anno M D LXXXVI. & Neoburgi, Anno M D XCIII. masculè, nec sine singulari fructu, asseruit & vindicavit.



## CAPUT IX. &amp; ULT.

De

QUIBUSDAM OFFENDICULIS, QUAE  
PRÆSENTIS OPERIS EDITIONI OBJICI  
POSSE VIDENTUR.

Quæ in me ex vario hominum genere iudicia, quæ undique censuræ ob editum istud Theologicarum epistolarum volumen, insurrecturæ sint, partim ad me, priusquam evulgarentur, delatum est, partim prævideo ipse. Quibus ut in hoc capite satisfaciam, pro virili adnitar, nec tamen me longo dolore excruciaturos, si qui pertexerint, vel institutum meum improbare, vel in crimen vocare laborem. Nam nec omnibus placere ipse potest, ut in proverbio est, Jupiter. In quo ipso non alium sequar objiciendorum ordinem, quam qualem mihi, nullâ utens ratione, memoria suggeret.

Dicent itaque primò, nihil epistolas illas complecti, quod operæ pretium iudicari meritò debuisset, ut in publicum prodiret. Nec enim tantam ex illarum lectione ad Ecclesiæ historiam vel controversias in eâ motas utilitatem redundaturam esse, nec quidquam in iis contineri, quod in aliis monumentis, jamdiu publicatis, non legatur. Quos verò ego ad capita huius apparatus posteriora revoco & argumenta in iisdem tractata aut cum scriptis publicis conferre, aut si facere hoc ipsis volupe non est, abstinere à præcipiti iudicio volo. Aperiet dies, quam innumeris aliis in casibus easdem ad usus suos traducant alii. Nec enim mihi constitutum fuerat, commentarium ad istud opus adornare, omniaque rescare ad vivum. Quod si nihil hic novè dicitur, ingratus sit, qui ea spernat, quibus quæ jam edita sunt, atque à variis religionis nostræ hostibus in dubium vocata, confirmata stabiliantur. Nec enim idèò historicos, qui post Tacitum aut Svetonium Imperatorum vitas de-

scripse-

scripserunt, negligimus aut abjicimus, quod vel pleraque vel omnia ab illis jam sint recensita. Jam major longè veritatis vis in epistolis, ultrò citroque ab iis, qui negotiorum nervis præfuerant, ut Theologi nostri gubernandæ tum in interioribus ecclesiæ, quam in scriptis quibuslibet aliis, latere meritò dicitur. Ei fini Erasmi epistolas, & post easdem Dav. Chytræi, & ante utrumque Æneæ Sylvii inservire, à rerum ecclesiasticarum tractatoribus semper creditum fuit. Ex doctorum epistolis, in Bibliotheca Hierosolymitana ab Alexandro asservatis, historiam suam maximam partem se confarcinasse, ait Eusebius, lib. VI. Hist. Eccl. c. XX. *Unde & nos, inquit, presentis argumenti materiam in unum veluti corpus colligere potuimus.* Eodem se præsidio adjutum ait Socrates, lib. II. Hist. Eccl. c. I. *Quinetiam, inquit, varias nonnullorum epistolas, qui id temporis vixerunt, sedulo perlegendo, veritatem, quantum fieri poterat, investigavimus.* Causam reddit Franc. Aretinus, Proœmio in Phalaridis Tyranni Agrigentini epistolas, à se latinè conversas, ad illustrem Principem Malatestam Novellum. Cum enim præfatus fuisset, Phalaridis ex latinis neminem, præter Ciceronem & Valerium Maximum mentionem facere, Eusebium verò Cæsarensensem tempora tantum, quibus crudelitatem & cædes suas apud Agrigentum exercuerit, & ea quidem dubia, annotare, hæc subdit: *ejus autem epistolæ longè magis & conditionis ejus & morum præ se ferunt testimonium. Sed nunquid ei credendum? Ego quidem inter omnia scribendi genera nullum verius quam epistolas existimo. Historia omnium judicio vera comprobatur. Verum si rectè considerabitur scriptorum affectus, amor, odium, metus & id genus alia, quin multa addant, multa subtrahant, nemo asserere dubitabit. Accedit rerum consiliorumque ignoratio. Neque enim omnibus interfuerunt & res alienas plerumque scripserunt, de quibus difficile est, præter eventus judicare; & eos alij aliter sapenter, ut ferè usu evenit, referunt. Epistolas verò, etsi in his simulari multa possunt & dissimulari, veriores tamen esse quis dubitet?*

*Plerumque enim res nostras scribimus, petimus, negamus, arguimus, res nostra agitur: ex quo maxime affectus & cujusque mores ostenduntur.*

Multa verò in ipsis Epistolis, regeres, gemina occurrunt, supervacua sunt, nauseam toties repetita movent. Non oportebat onerare emptorem tot inanibus foliis, ad nihil nisi suffurandum tempus, cujus auro carius impendium est, profuturis. Sed verò quod plures attestantur, majorem in fide historica auctoritatem obtinet, nec semper ad persuadendam rei certitudinem unius sufficit testimonium. Quo itaque candore id ab opere hoc refecarem, quod & ad fidem historiae generandam necessarium est, & rei gestae veritati haud exiguum addit praesidium? Quin eodem argumento amplissimam veteris historiae partem elimina & è lectorum manibus eripe. Nec si tibi unam alteramque legere non vacat, quia in majoribus tibi versari videris, aliis id grave erit, quibus diversum à tuo genio institutum probatur. Denique in ipsa epistolarum similitudine eam disparilitatem contueberis, ut varietas & dispulsura tibi fastidium & ad lectionem te sit irritatura.

Privatae sunt ais, epistolae. Quid tibi in eas, ut edas, juris est? Hanc tibi potestatem earum auctores, si viverent, nunquam facturi essent, de injuria potius ipsis illata, si resurgerent, querelam haud injustam moturi. Verum bona verba! Cur id, quod privatum est, non possit in publicum usum produci? Laudem is mereri judicatur, qui, quod intra privatos lares latet, cum pluribus prodesse possit, omnium usui liberali manu exponit. Thesaurus in cavernis terrae reconditus, quam cui praestat utilitatem? Ut in antiqua Ecclesia episcoporum post eorum obitum epistolas magno studio collegerint patres, easque Ecclesiae bono, à nemine ideò accusati, in publicum ediderint, primo capite planum fecimus. Delatae sunt epistolae optimo juris titulo in potestatem meam, poteram itaque jure meo uti, earumque usum cum aliis communem facere. Epistola

pistolæ ad alios scriptæ, quamprimum è manu scripioris exeunt, in eorum arbitrio, ad quos directæ pervenerunt, esse censentur, nisi scriptores ipsi id in eas sibi reservaverint juris, ne ad alios earum usus dimanet. Inprimis Theologica dexteritatis est, nihil quicquam in re religionis privatim scribere, de quo tibi metuas, si id in publicum evolet. Quod si quibusdam molestum fuisset, si ipsis viventibus aliqua eorum epistolæ publicæ omnium lectioni patuissent, hodie tamen non refragarentur, si animi nobis sui sensum aperire possent, promiscuum earum usum lubentissimè concedere. Nec enim harum publicatio quidquam ipsis molestiarum amplius creare, nec adspargere, ut alibi dicemus, nomini eorum, cui non exigua ex illis gloria accedit, maculam potest.

Alii sermonis simplicitatem ruditatemque criminabuntur. Nec enim prævio recto iudicio, aut curatâ diligentia, ut lucem adspicerent, exaratas esse illas Theologorum Epistolas, sed tumultuaria opera & extemporaneâ festinatione chartæ illitas, ut manca nonnunquam verba sensum intercipient & sermonem usquequaque deforment. Hoc contortum in epistolas nostras relum secundo capite avertimus. A Theologis nostris de latini sermonis peritia edoceri non petimus. *Aenea Sylvii* epistolæ, præcipuas Europæ res, eâ ætate gestas, complectuntur, & genus tamen orationis minus elegans est atque politum, nec eloquentiæ studiosis imitandum. Nec apud *Hieronymum*, quamlibet doctissimum politissimumque scriptorem, elaboratæ omnes studio & industria cernuntur epistolæ. Ad *Julianum* scribens, eumque super duarum filiarum atque uxoris obitu consolans, præfatur, fratrem ejus, *Ausonium*, in ipso jam profectiois articulo, cum in puncto temporis salve pariter valequedixisset, vacuum se redire arbitratum fuisse, nisi aliquid ad ipsum suarum nugarum tumultuario sermone portaret. *Jam demisso Synthemate*, ait, *equus publicus sternebatur, & nobilem juvenem puniceâ indutum tunicâ baltheus ambiebat, & tamen ille apposito*

NOTATIO

notario cogebat loqui, quæ velociter edita velox consequeretur manus & lingua celeritatem prenderent signa verborum. Itaque non scribentis diligentia, sed dictantis temeritate, longum ad te silentium rumpo, offerens tibi nudam officij voluntatem. Extemporalis est epistola, absque ordine sensuum, sine lenocinio & compositione verborum, ut totum in illâ amicum, nihil de oratore reperias. In prociuctu effusam putes & abire cupienti ingestum viaticum. Quid verò dicemus de Apostolorum epistolis, stilo adeò simplici, adeò ab omni fuce Rhetorico & puerili atque plausible, ut Hieronymus loquitur, eloquij venustate alieno descriptas, ut magnus litteratorum Aristarchus, Claud. Salmasius, soloecismos & barbarismos & in universum rusticum loquendi genus Prophetis atque Apostolis objecerit; quale & ex antiquis Cyrillum Hierosolymitanum, Methodium, Gregorium Nazianzenum, Didymum, Chrysostrum, Gregorium Nyssenum, Theodoretum, Basilium, ipsumque Hieronymum iisdem attribuisse, Fr. Patritius, in notis ad Clementem Romanum ostendit. Origenes, quamquam Hom. XV. in Genesin, neget, scripturam Divinam, ut plurimis videatur, inerudito & agresti sermone compositam esse; libri tamen sexti contra Celsum initio Celso, Græcorum sapientiam cum S. Literarum simplicitate comparanti, ea respondet, quæ & stili simplicitatem epistolis nostris objectantibus merito obvertuntur. Celsus, inquit, alijque criminantur Scripturarum nostrarum in eloquendo simplicitatem, quam ad se collatam splendor cultioris orationis obscurare videtur; cum propheta nostri & ipse Jesus, ejusque Apostoli attenti fuerint potissimum ad orationis modum, non solum veracissimum, sed etiam ad attrahendam multitudinem maximè commodum, ut singuli tandem conversi & attracti pro virili percipiant arcana sub sermonis simplicitate latentia. Immo si verum fateri licet, paucis profuit, si tamen profuit, Platonis & similium exculta & accurata oratio; multo autem pluribus ista simplicitas hominum, tam stilo quam doctrina ad captum vulgarem se attemperantium. Theologi fuerunt scripto-





barunt, damnarunt, execrati sunt nostri. Pontificiam tyrannidem sapit, audaces trucesque manus in bonorum viro-  
 scripta injicere, eas pro lubitu tuo, si quid tibi adversum dicant,  
 mutilare & adhibito indice expurgatorio vel integra capita vel  
 sententias notabiliores eradere. Non est boni & honesti viri,  
 malis atque inhonestis artibus veritati suppetias ferre. Non  
 sunt facienda mala, ut eveniat bonum. Malum autem est, nec  
 Christiano candori atque integritati conveniens, ut adversariis  
 tuis consensum nostrorum persuadeas, eos testes, qui pro te  
 faciunt, vanâ magnaue jactatione in publicum producere,  
 alios, qui contra te testimonium dicunt, subdolè & fraudulen-  
 ter reticere. Quo alio argumento Ariani recentiores veteris  
 historię, quæ rerum inter catholicos atque ipsos gestarum nar-  
 rationem complectitur, fidem fortius nituntur suspectam  
 falsamque reddere, quam quod præcisus aut suppressis omnibus  
 Arianorum scriptis sola catholicorum monumenta ad posteri-  
 tatem trans miserit Ecclesia? Ut nec in actis publicis ulla facile  
 amplius Ariani doctoris, aut orthodoxi quidem, sed in Aria-  
 norum gratiam aliquid scribentis, epistola conspiciatur. Hac  
 pia fraude utantur, quibus mendacium pro virtute & dolus pro  
 gloria est, dummodo videantur victoriam contra inimicos ob-  
 tinere & nominis famam latè diffundere. Ego sperabo, haud  
 paucos è probis doctisque viris, si tumultuentur alii, candorem  
 meum probaturos esse. Cæterum nec quidquam in epistolis  
 nostris reperiri, quod concordie negotio, aut ejus auctoribus,  
 labem quandam adspargere possit, quin in editis jamdiu monu-  
 menti fuerit lectum: nec quidquam ejus esse, ad quod à no-  
 stris non ita fuerit responsum, ut veritatis adversarii justam non  
 habeant causam, nobis insultandi, facili operâ posset ostendi, si  
 id opus esse judicaretur. Concordie operi, rectè suscepto at-  
 que feliciter perfecto, nihil accidisse, quod non operibus aliis  
 sanctissimis laudatissimisque acciderit, nec Bidembachianam,  
 quæ

quæ nonnullis ludum faciet, epistolam legitimam viro bono & verè Christianam mentem gerenti de eâ re dubitandi causam præbere, suo loco clarum fecimus.

Multa, oppones, merè privata atque domestica quædam epistolæ edisserunt. Quid illis cum publicis Ecclesiæ negotiis? Nonnulla adeò jejuna atque puerilia sunt, ut in serio opere legi non mereantur. Germanicas saltem illas epistolas, infectas & inspidas, nec quicquam in se vel salis vel aceti habentes, omitti oportuit. Sed forte hæ ipsæ, quas tu supercilio quodam contemnis, quibusdam nimium aceti habere videbuntur. Cur verò quæ Germanico idiomate scriptæ sunt, ex hac solâ causâ, quod nobis vernaculæ sunt, exilii pœnam luent? Quicquid hic edimus, ad hunc unum scopum collineat, ut ex eo superioris seculi historia illustretur. Ei fini consequendo parum interest, quâ lingua conscriptum sit, quod publica luce donatur. Si verè à gravitate epistolæ Theologicæ alienum est, privata & domestica nunquam inspergi & de rebus levioribus aut exilioribus scribi, exilio non minus damnabuntur Apostolorum epistolæ, quæ de pallio & libris & pergameno præcipiunt & frequenter in prolixis salutationibus sunt occupatæ. Est hic epistolarum familiarium genius, ut & rerum gravioris momentû tractatione utilitatem præstent, & mentione rerum domesticarum fastidium legenti detergant & mutuam charitatem demonstrant. Illa verò à cæteris recidi consultum non erat, quia & pauca fuerant & suspicionem parere poterant, quod & in cætera furaci manui aliquid permiserimus potestatis. Et quæ tibi omnium aridissimæ videbuntur, aliis vel ad particularium Ecclesiarum aut vitarum historiam, vel ad indagandum temporis articulum, vel ad rem quamlibet aliam conducent. Adeò non æx unius alteriusque usu res unaquæque æstimari debet.

Sed nec ludicris Epistolæ istæ destituuntur; dices. Jocan-

tur Theologi, ludosque de uxorum suarum imperio, rebusque, quandam levitatem arguentibus, aliis agentes, adversariis ridendi materiam fabricant. Quam præstitisset, ex serio opere jocularia ista remove? Istos verò sive delicatulos sanctos, qui veriti, ne, si rideant aliquando, aut jocum interponant rebus severis, ab atro quodam dæmone furtipiantur, sive morosos & asperos Pifones, qui tetrico vultu facetias omnes, quantumvis liberales, respuunt & damnant, quo pacto placabimus? Ad Erasmus, conscribendarum Epistolarum doctorem, eos ablegabimus, qui titulum de jocosis epistolis his verbis exorditur: *In unoquoque epistolarum genere, quoties res patitur, jocum admiscere debemus.* Quod si ex omni epistolarum genere Theologicas excipiant, Photium, Patriarcham Constantinopolitanum, acerrimi judicii & multæ lectionis auctorem, audiant, qui, observante libro primo de antiquo Ecclesiasticarum Epistolarum genere, cap. II. *Franc. Bernardino Ferrario, Basilii M. epistolas in duas classes distinguit, in Canonicas, id est, in eas, quæ ad dogmata fidei & Ecclesiæ politiam pertinent, & in alias, quibus nimirum aut jocatur suavissimè cum D. Gregorio Nazianzeno, aut cum Libanio Sophista, alijsque nonnullis, soluto animo familiariter agit.* Quate Gregorius ad Basilium, Epist. XXI. *Tu quidem cavillare & obtrecta rebus nostris, sive joco sive serio, nihil molesti est. Ride modo & lusu faciare & amicitia nostrâ frui. Omnia nobis jucunda sunt, quæ de te veniant, qualiacunque tandem fuerint & quomocunque habuerint. Nam mihi ea, quæ hic sunt, subsannare videris, non ut subsannes, sed ut ad te ipsum trahas.* Quod verò tam sancti viri exemplo consecratum est, id impudens sit, qui turpitudinis condemnat.

In nonnullis epistolis immoderatam conspici vehementiam, quidam clamitabunt. Sed quam tu vehementiam, quam

quam intemperantiam vocas, alii severitatis & zeli Theologici nomine maximopere commendabunt. Nec ut occupavi supra, ego omnium in me defensionem suscipio. Si dixeris: itaque edenda ea, quæ minus approbem, non fuisse: respondeo, eodem argumento ex Hieronymianis atque Augustinianis epistolis, quæ eodem vitio laborant, tollendas esse. *Erasmus* in censura, Epistolæ ad Vigilantium præfixa: *Vigilantius scripsit librum, in quo docebat, non esse adorandas martyrum reliquias, nec ad horum sepulcra vigilandum.* In hunc ita convitiis debacchatur Hieronymus, ut plusculum in eo modestia cogar desiderare. *Utinam argumentis tantum egisset & à convitiis temperasset.* Nam vigilias nocturnas non placuisse Ecclesiasticis viris, vel illud satis arguit, quod horum autoritate sublata sunt, nomine duntaxat superstite. Quis idè optavit, hanc & plures alias, ejus epistolas, de quibus brevitas studio dicere superfedeo, æterno silentio fuisse sepultas? Ex doctorum, quæ hodie legimus, monumentis non virtutes tantum & res benè gestas colligere convenit & imitari, sed & errores navosque animadvertere atque vitare.

At illi, inquit, odio & æmulatione ita flagrabant, ut in seipfos sævientes, atro invicem calculo condemnarent & Ecclesiæ communione ejicerent. Quis Cadmæ ista jurgia sine offendiculo legat? Verum tu mihi bella enarras, nata in cerebro tuo, non lecta in epistolis nostris. Si qui nonnunquam adversis armis concurrerunt, id & rarissimum erat & brevis inter fratres rixa in amicitiam eò firmiorem transibat. Nam amantium iræ redintegrationes sunt amicitia. Paulus quoque Petro in os restitit & magna contentio inter summos Apostolos in primo, quod Hierosolymis celebratum est, concilio fuit exorta. Et tamen eas epistolas, quibus id enarratur,

ratur, religiosâ veneratione in Ecclesia adoramus. De Hieronymo, adversus Joannem, Episcopum Hierosolymitanum scribente, denuò Eratinus: *Hæc tametsi sunt erudita, tamen absque dolore legi non possunt, inter tantos viros tantas factionum & simultatum turbas incidisse.* Non itaque novum est, Ecclesiæ doctores inter sese collidi. Anne Calviniani, anne Pontificii ita semper in omnibus concordés fuerunt, ut nunquam intestinis odiis & inimicitiiis distraherentur? Ut nunquam hostibus suis sannas & ludibria exhiberent? Objecturi itaque nobis contentiones nostras, aut suamet Ecclesiã ab æmulationibus reddant immunem, aut nostræ certè ob eadem dicam scribere intermittant.

Si quidquam eorum, quæ epistolis hætenus nostris objecta fuerunt, & ob quæ easdem è lectorum manibus excutiendas atque odio potiusquam editione dignas quis judicaverit, iisdem jure imputaretur, verissimum tamen est, nihilominus commodi plurimum ex illis ad historiam Ecclesiasticam deinceps dimanaturum. Multa publicorum scriptorum narrationibus congruentia, quæ heterodoxi alioqui negabant, orthodoxique adèò magno conatu probare cogebantur, epistolæ nostræ *συνομινησασαι* profitentur. Occurrunt alia, unde major jam olim traditis fides accedit, circumstantiis etiam quibusdam novis convestita. Narrantur complurima, vel nova hætenus, vel sanè optimæ frugis, inque alias eruditionis partes lucem usumque diffusura: utpote doctorum, aliorumque illustrium virorum nomina, gesta, merita, virtutes, obitus, vitia item & nævi; hæreticorum hypotheses, conatus, odia, cædes; Ecclesiæ ritus, ceremoniæ, disciplina; variorum colloquiorum memoria, solennia, gesta; imperiorum, rerumque civilium motus, fata, mutationes; scriptorum publicorum occasio, censura, publicatio; controversiarum origo, progressus, decisio, alia-

aliaque id genus. Denique earum lectione enitescit, quâ fide, quâ industriâ, quâ morum integritate & sanctitate Ecclesiam sui temporis rexerint, conservaverint, propagaverint ejusdem doctores, & qua fraude, quo fastu, qua violentia, qua sedulitate vaferrimus humani generis hostis veritatem adulterare, perque ineptissimas fabulas, horrendarumque opinionum portenta obrepere, fucumque facere, atque eoipso Ecclesiæ pacem disturbare simul & formam fidemque ejus contaminare fuerit admissus. In integrando veteris Ecclesiæ corpore de rebus sacris optimè mereri judicatur, qui in ea, quam patimur, antiquæ memoriæ paupertate, vel cujuscunque antiquitatis ramenta, in massam obrussamque conflata, si ex iisdem veri aliqua scintilla emicaverit, adportat, ex quo spes sit fore, ut aliquando, si non quandâ consummati operis & omnibus numeris perfecti, ab absoluta tamen propiore Ecclesiæ historiam habeamus. Cur itaque invidiam odiumque sustineat, qui ad recentioris Ecclesiæ exactiorem notitiam, si non aurum argentumque, vellera tamen & pelles, ad operis complementum qualitercunque facientes, confert, id est, veteris monetæ fideique spectatæ monumentum aliquod ex abdito situve primum in vulgus edit, fideique optima sistit? Ut taceam amanitates & veneres, quibus refertum hoc opus est. Quis enim non summa cum voluptate legat tot sanctissimorum doctissimorumque virorum mistos invicem sermones? Quis non amabili illa & stili & rerum & animorum varietate delectetur? Quem non in amorem rapiant discursus tam multiplices, sententiæ tam graves, admonitiones tam severæ, objurgationes tam seriæ, consolationes tam sanctæ? In quibus nunc Christianæ fidei, post dispulsas diurnas tenebras, natales & incrementa, nunc admiranda Divinæ bonitatis in tuenda Ecclesia sua documenta, nunc vindictæ irrevocabilis ad coercendam hominum pravitatem specimina, nunc invicta verè fidelium in religionis professione constan-

constantia, condita habentur. Atque ex his in proclivi est, vel universam Ecclesiam, per Lutherum feliciter reformata, faciem, in plurimorum epistolis sparsam, colligere, vel aliorum errores dispungere, vel certè novis observationibus historiz istius censum locupletare. Quæ quantum vel ad religionis nostræ confirmationem, vel diffusionem orthodoxæ Ecclesiæ faciant, aut cæcus est, qui non videat, aut malitiosus, qui neget.

Nunc objectionum satur ad finem respicio, quidque amplius & acerbius in me dicturi sint, posthac expecto. Ad quæ dum suo tempore responsionem paro, te, ingenue lector, salvere & valere opto.



EPISTO.